



AVRELI
AVGVR
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
III
3
26















Ex Libris Ioannis Nencini


1874



70V

19





I. AVRELIVS AVGVRELLVS.



a

Quisquis hunc librū Siluii aciarij lacerabit
inique
Sic precor illius sit lacerata manus

IOANNIS AVRELII AVGVREL=
LII IAMBICVS LIBER PRIMVS.

POETAS DIVINO FVRORE EX=
CITARI, ET PROPE FE=
LICES ESSE.

CARMEN. I.

C

Oelestis intus excitat Vates uigor:
Vltrá'q; semper promouet:
Illhic ut illos sistat, unde mouerát:
Cœlo'q; ciues asserat.
Donecq; sedes incolunt mortalium
Hac óblita caligine:
Virtus tenébris una solos eximit
Ardente sole purior:
Splendore cuius tutiores ambulent:
Ferant'q; lucem cæteris.
Hinc non honorum non opum cordi faces
Volens edaces admouet,
Ad sacra certo qui semel ritu pedem
Musis dicata contulit.
Vitat sed ægrum uulgus, odit anxii
Curas ineptas ordinis.
Aeque dolori, gaudio'q; deditus,
Neutro retentus læditur.
Optat frequenter, nec cupit. cauet, neq;
Pauet timore territus.

E rgo aut patentes circuit Mundi plagas:
 Floremq; rerum colligit:
D um multiformis interim coloribus
 Natura doctis pingitur.
A ut quid decenter expetatur omnibus,
 Iugi labore quæritat.
C ultisq; mores mentibus probos serens,
 Inculta quæq; præterit.
A ut sæpe lætos inter admissus choros
 Ludit latenter uirginum:
A d quos aperte progredi nullis datur:
 At ire clam, paucissimis.
I llhic amœnæ uallis in recessibus
 Frondentis alte populi
A estum sub umbra uitat aura leniter
 Remurmurante frondium.
I llhic uirentis floridum campi solum
 Innoxius perambulat.
V el ad sonorum uitreæ lymphæ caput
 Curis solutus sternitur.
G rato uel antro iam Deo plenus sedet:
 Lyráq; Musam suscitat:
A ntro, quod hederæ uestiunt circum sacræ,
 Laurusq; obumbrat mystica:
H éroas unde tum, uirosq; laudibus,
 Diuosq; dignis concinit.
Quid hoc beatius? quis huic opes simul
 Omnes furori comparet?

AD LAVRENTIVM LAVRETA-
Num · P · Ven · Phœnix, ſub qua Domus
Lauretana ſignificatur ·

CARMEN · II ·

Iranda ponit iandiu nidos Auis
m Hoc ſub uetuſto ſtipite:
Et uſq; ab indis, et rubro aduectos mari
Miros odores congerit:
Quibus ſe adurit, et innouans ſub unica
Aeterna Lauru permanet:
I am qualis ornans purpura pennas, recens
Illuſtrat Auro uerticem ·
E t in feroces iam uolucres ſic Ioue
Vires uolente comparat ·
A pplaudit alis, et ſinu mites fouens,
Clangore ſegnes excitat ·
V eſtra hæc ſub alta nam Domus lauro uiget
Phœnix perennis altera ·
Quæ ſemper æquos, ſemper in Re Publica
Summos futuros parturit:
H abet'q; ſemper: ſemper et bonos domi
Foris'q; profert Principes ·
C eu cui fauente nunc polo rerum graues
Virtus habenas credidit:
S ub quo uerentur patrias leges mali:
Gaudent at illis optimi ·
A c cum nefando Martius gradu furor

Vrbes oberret Italas:
His bella mitis arcet ex oris procul
Adaucta Pax felicibus.
Tuentur æqui scilicet diui piam
Gentem sub almo Principe;

PATRIAE GRATVLATVR, QVOD
sub ditionem Venetam Venerit.

CARMEN. III.

Etatis actæ plurimam sub aureis
a Partem peregi legibus.
Donatus Vrbe donec Antenorea
Illhic uacabam litteris:
Mox Taruisina: factus hic quoq; munere
Ciuilitatis auctior:
Vel esse dum me ciuitatum principis
Quandoq; iuuit incolam.
Istius ergo Publicæ mores Rei
Quot uel fuerunt optimæ
Iam nemo, ut ipse, nouerit quidem, neq;
Magis sit illi deditus,
Quam mens parêre pro uirili concupit
Huic nostra semper unicæ.
Miretur ecquis, si uideri gestiam
Nunc usitato lætior?
Gestit quod intus spirat, ac feruens mihi
Pleno

Pleno redundat gaudio ·
V idebo te ne dulcis ò te Patria
Videbo sub sanctissimo
S emel Senatu te uidebo immobili
Frui quiete patria?
Qua Ciuitates sempiterna moribus
Agunt beatis cæteræ ·
R edibis ergo nobilis potentium
Quiritium Colonia
N unc in nitorem pristinum, nunc os situ
Demes honestum squallido ·
V idere iam uidemur altis substrui
Portus decenter molibus ·
P rolapsa priscis undecunq; mœnibus
Nouo reduci cotili ·
A t templa miris excitari sumptibus
Cultu dicanda numinum ·
P riuata quin et tecta passim ciuium
Domos parari dirutas ·
C oli feraces undiq; extantis tuos
Colles honustos frugibus ·
D icêris Aemiliæ urbium, ut quondam, omnium
Ariminum Vrbs pulcherrima;

GRATIARVM CONVIVIVM ·

CARMEN · IIII ·

I Nuitat olim Bacchus ad cœnam suos

Comon, Iocum, Cupidinem.
D iscumbit unà Liber, ac Amor: Iocus
Comosq; contra proxime.
I llis decentes subministrant Gratiæ
Grati saporis pocula.
S uavosq; miscent, et uenena temperant
Multi uicissim palmitis.
I nusitato proluunt se Nectare
Plene sodales Vuidi.
A c forte iusto plus parum dulcedine
Lactante capti ingurgitant.
H ic inter ægros incipit uerbis Deos
Ridenda primum rixula.
G raues Amori Bacchus obiectat dolos,
Quibus frequenter utitur.
I lli Cupido uana ludens gaudia,
Blæsasq; uoces exprobrat.
C omo Iocus risus leues: Comos Ioco
Sales ineptos obiicit.
M ox in capillos, atq; ocellos aduolant,
Manusq; nectunt paruuli.
A dsunt sorores illico tres perditis,
Pacemq; suadent optimæ.
T andem sagittas, et Pharétram clanculum
Bacchus Cupidini inuolat.
A t ui nitentem florida iocus coma
Como coronam diripit.
S ic inde scissis crinibus cedens Amor

Matri fit obuiam ebrius ·
C omus facetos ad uiros se proripit
Per Angiportum deuium ·
B acchus, Iocusq; contrahunt foedus, breui
Mox desiturum tempore ·
A st ut propinquans sordidum natum mero
Venus madentem conspicit :
I rata secum, limpidum ad fontem manu
Apprensum et haerens attrahit ·
H uic rore puro protinus lauat sacri
Crines solutos uerticis ·
P ectitq; et aegre extricat, ac dat undiq;
Collo nitenti pendulos ·
S ed forte oberrans rosidam manus cutem
Contingit acri pectine ·
T um laesus ille subdit accensam pio
Facem Parentis pectori ·
A mbusta at ipsa : ut erat : in undas prosilit,
Secum trahens Cupidinem ·
F ons unus ergo sic leuatos dispari
Ambos calore liberat ;

AD VINCENTIVM QVIRINVM · P · V · VELLVS AVREVM ·

CARMEN · V ·

Vem relicto Pastor educens grege

Alcon sub antro collocat.
Illic'q; solam sedulus sectis alit
Herbis, et haustis fontibus.
Nusquam uagari nanq; sub diuo sinit,
Septo sed arcto continet,
Candente donec quæ nitebat uellere,
Atro colore obducitur.
Dehinc et uirenti, cærulo'ue sæpius
Nec non rubore spargitur.
Tandem priori restituta tegmini,
Albere rursus incipit.
Sensim'q; tantum prodit, ut spectantibus
Visus acumen auferat.
Tum Pastor illi subministrat largius
Quæsita passim pabula.
At ipsa, quod mox omnibus mirum foret,
Quicunq; propter incolunt
Silis fluenta, protinus pingui satur
Læti sagina graminis,
Insigne mutat tergus, ac illi undiq;
Vellus renidet aureum.
Auroq; dentes, et pusilla cornua,
Paruæ'q; fulgent ungulæ.
Surrepta demum nobilis fato pecus
Spirans et aurum concidit.
At lætus Alcon diuitis pondus gregis
Domum referre nititur.
Festum'q; Pastor Aurifex agit diem,

Habetq; diuis gratias.
M eram Quirine luseramus fabulam
Hanc, quam tibi nunc mittimus.
S unt qui subesse non nihil tamen putent,
Quod fors nec ipse attenderim.
H inc illæ ineptæ fictiones sæpius,
Et longa commentaria.
S upersedeto tu: nec, ut rerum omnium
Scrutator es grauissimus,
H is è tenuibus erui quicquam uelis,
Quod nec subest reconditum.
N on nulla priscis excidisse Vatibus
Ferunt furore percitis:
A c esse paucas illa uere cognita:
Abstrusa nanq; permanent,
E dùcat ipsa ni quis è penetralibus,
Reddatq; aperta posteris.
Quæ uix probarim: tam potest Antiquitas,
Quam nos fidem uerbis damus.
A t excitari dixerim Vates tamen,
Ferriq; mentis impetu:
I d uel mouente intrinsecus causa, uel id
Cœlo fauente prodeat;

AD PEROLLAM. COMMENDATIO LINTEI Elegantissime acu picti.

CARMEN. VI.

Pus uidere contigit mirum mihi
Nouæ profectum nunc ab arte Palladis:
Natura quale uel potens Pictor daret:
Lætum, et feracem qui referret hortulum,
Veris colores æmulatus floridi.
Apellis æque nec tabellæ mouerant
Spectantium animos: aut Myronis ærea,
Ceu uiua foret, operta tauris Bucula
Gregem, gregis'q; sic ducem fefellerat:
Nec Praxitelea marmor in sacros Deum
Virtute uultus expolitum uerterat
In se tuentes: ut Perollæ sericum
Me mouit Iphi munus hoc missum suo:
Tantum quibusq; in rebus excellentia.
Pollet, sibi'q; conciliat, et secum trahens
Mentes potenter nectit admirantium.
Iam nunc quid elegans acu possit manus
Videtur arcto redditum telæ sinu,
Vbi uirentis herbido terræ solo
Arbusta ramis pullulant florentibus.
Spectare parua quoq; licet Animantia
Passim recessus ut subintrent abditos,
Densis'q; rursus è Latibulis exeant,

Et prata cursu perferantur mutuo,
Vt rupe ab alta riuulus cadens fugit
Inter Lapillos et suborta gramina,
Virentq; fontis ora Musco limpidi:
Ac ut canoræ uepribus sidunt aues:
Et ut sub undis uitrei pisces natant.
Insecta quin et muneris partes sui
Actura, ut hærent, cursitant, repunt, uolant.
Et ridet omne quicquid hic pictum uides.
Sed iam uaganti dandus est Musæ modus,
Certare nequa uidear imprudens tibi
Frustra minutis hisce tecum uersibus
Perolla dulce seculi nostri decus;

AD FRANCISCVM CORNELIVM PATRICIVM VENETVM.

CARMEN. VII.

c Orneliorum gente qui ducis genus
Clara, uetusta, Diuite,
Francisce, iämbis te quoq; in nostris locũ
Tenêre uel primum uelim:
S ed nullus altum uasculo fontem breui
Tentarit unquam claudere.
N ec ipse Sperem posse quæ tibi attinent
Dici minuto carmine.
V ide quid error seduli Vatis queat:

Vt tendat illhuc, quo nequit.
P riscæ ne tenui proferam domus Lyra
Opes, Viros, Præconia?
D icenda ui sunt grandiore hæc plurimi
Oris, uel alti carminis.
S at est Amico tantulo uelut mihi
Referre solum hoc, quod potest,
V t fons honestæ scilicet prolis scatet
Semper uiris uberrimus:
Quos inter ampla honoris, et rerum uigens
Successione oleueris.
A c ut te honestant hi, ipse sic illis Decus
Contra refulges splendidum;

AD ANDRIONEM ARTVSI=
NVM RAVENNATEM.

CARMEN EX SOLIS IAMBIS.
CARMEN. VIII.

ambe cede quam potes meus celer:
i Et alta regis ora scande fluminum:
Vbi uetusta fiet urbs tibi obuiam
Mei sodalis Andrionis optimi
Amœna dulcis et beata Patria.
Ibi salute plurima prius pete
Eum, subinde nos ualere dicito.
Requiret ille forsitan, quid egerim

Dius

Diu, uel an quod actitem frequens opus.
At ipse sorte me referto uiuere,
Mihi benigna quam dedere sydera,
Vel æqua Mens parauit, ut nimis nihil
Velim, satisq; subministret usui
Breuis scatente fontis ore copia.
Et ut Camœna succinit modos mihi:
Quibus uidetur admouere seriis
Volens iocosa, nec minus lubens statim
Amarulenta temperare dulcibus.
Mihiq; uita, quæ solebat, ut sedet
Modesta semper, omnibus iocis tamen
Referta, ni quod absumus cupidine
Procul, petebat ægra qui leuis mihi
Frequente corda, nec graui diu, fice.
Sed hæc locutus ante, quære postmodum
Quid is lucretur usq; cum negocíis:
Quæ honesta et æqua plurima, ut uirũ decet,
Agit frequenter, et subinde splendidum
Sibi Reiq; Publicæ Decus parit.
Itemq; prole cum sua ut ualet Pater:
Domusq; ut omnis. Interim ne litteras
Situ perire squallidas putri sinit.
At ille mente concitus tamen Deum
Suis honusta sæpe multa Gratiis
Dabat fauente Gratiis Apolline;

AD . C . NVPER INITIATAM.

CARMEN. IX.

q

Vo uirgo tendis omnium pulcherrima?
Quo te misella subtrahis?
Vbi decorem protinus tantum, uelut
Effecta uecors, oculis?
Heu quo repente, quo fugis? quo te tibi
Aufers? malorum nescia,
Quæ te petent, te different, in te undiq;
Facto ferentur agmine.
Vbi parentes impie temnens graui
Dolore fessos deseris?
Quibus cor una eras, et una spiritus,
Erasq; prorsus omnia.
Hostilis ecquid improbe quicquam magis
Manus patrare quiuerit?
Quam si fouentis filiam matris sinu
Aut patris amplexu auferat?
Opes inepta diuitis tantas domus:
Sumptusq; tantos despicis.
Ornatus annos qui tenellos, qui genus,
Qui te decebat spernitur.
Quam tristis omnis heu iuuentus linquitur,
Sed inter omnes tristior,
Aetate siquis florida tuas puer
Optarat ardens nuptias:

Qui

Qui te, tuosq; prole felices diu
Pulchra nepotum redderet;

RESPONSIO PRO · C ·

CARMEN · X ·

Entare quid tot impiis piam modis
t Vates puellam iuuerit?
Quæ uouit uni protinus se maximo
Constanter orbis principi:
E x quo beata hæc cuncta, quæ iactas, fore
Breui caduca nouerat:
A t firma contra, quæ sequatur, omnia:
Nulloq; læsa tempore.
S unt ista, quæ tu colligis, quidem bona:
Vitæq; prorsus commoda:
S ed implicata pluribus passim malis
Plus fellis et mellis minus
H abent: nec uno perseuérant ordine:
Incæpta sed uix, desinunt ·
N ec illa caros sic parentes deserens,
Vt reris, errat impia ·
H os nanq; tanta caritate amplectitur,
Quam magna natæ conuenit ·
N omen sed illis anteponit optimi
Rerum parentis omnium ·
F acitq; solum id maximi, præq; unico

Nil esse ducit cætera.
Ergo parentes quam sibi ablatam, putent
Vero parenti redditam.
Perculsa quin et tristibus tandem modum
Ponat iuuentus lachrymis.
Quæ nanq; spretis inuidia mortalibus?
Nupsisse diuo uirginem;

AD BERTVTIVM LAMBERTVM:
Ad quem significat mittere tris subsequentes Odas: Faunum. Lycen. et mutuo amantes.

CARMEN. XI.

SI quando curas pectoris graues sacri
Leuas honestis lusibus:
Lamberte quos nunc mittimus iocos tibi
Omnino ne tu spreueris.
Faunum uidebis nubilem sequi Lycen
Locos per omnes auios:
Quocunq; præceps illa sese proripit:
Dulcisq; differt nuptias.
Leges, ut Orus alteram Lycen sibi
Amator optet feruidus.
Vt flora et Alcon mutuo se diligant:
Pariq; se affectu beent.
Hæc submonere uisus es pridem mihi
Ludens

Ludens ut ad te scriberem ·
Qui dum iocosis mutuare seria,
Condis amara dulcibus;

FAVNVS ·

CARMEN · XII ·

More captus nubilis Faunus Lyces,
Eam dicari coniugem sibi cupit ·
Sectatur instat feruidus celer furens,
Quocunq; se fert illa, quo pauens fugit:
Quo se recipiens fessa anhelans'q; occulit:
Vel cum profundi fluminis uadum natat:
Vel cum latebras infimæ uallis subit:
Densæ uel intrat abditum siluæ sinum·
Rupes uel alti dirutas repit iugi ·
Solatur acres interim curas tamen
Quandoq; lassus ad sacræ lymphæ caput
Dulciq; blandis consona uerbis lyra
Nymphis Amores conquerens suos canit·
Nymphæ perennis fontis almæ præsides,
Quæ me cadentem iam, atq; semimortuum
Vestri frequenter ope liquoris excitum
Fouetis: atq; alacriorem redditis,
Vt forte cursus iam mihi datos sequar:
Ecquid pii me compotem uoti queam
Vnquam uidere? an semper infensus meæ

Luci, meoq́; spiritu degam grauis?
Quæ uita, quæ cor unice spirat mihi.
Desyderatos ecce in amplexus feror.
Et cara tendo insaniens ad oscula.
O delicati pectoris papillulas:
Iam semipomæ molliter quæ prominent.
O colla parium marmor excedentia.
O suauianda centies labellula.
Sparsas rubentes ore quid dicam rosas
Albis ligustis candidisq́; liliis?
Totîus edam quid micans oris iubar?
Vel quæ serena fronte lucent sydera?
Et quicquid illic aureus uertex tegit?
Cum nocte semper et die me saucient
Quæ pulchriora suspicor latentia;

ORVS AD LYCEN.

CARMEN. XIII.

t Enebo te nunc et fruar cupidine
Desyderato tandiu Lyce mihi:
Spectabo præsens, æmuliq́; syderum
Ictus ocelli sustinebo comminus.
Deosculabor os tenellum suauio
Presso labellis molliter mellifluis.
Gratas Amantis en tibi uoces prope
Haurire cupidis nunc licebit auribus.

At ipse felix et beatus audiam
Coràm sonantis dulce murmur osculi.
Narrabis, ut me maximi solum facis.
Et cuncta pro me iam tibi sordent simul.
Vt prorsus uni te colis et ornas mihi:
Et mi placere, quo queas, semper cupis.
Contra sed inquam, miserum ut ipse me putem,
Ni semper unà tecum agam præsentius.
Ac ut propinquem, deserarq; nusquam,
Horrenda quæq; cupiam adire et perpeti,
Omniq; tecum coner ut degam modo,
Et mente saltem, re nisi detur, siem.
O me beatum, teq; contentam Lyce,
Quod sic in unum prospere conuenimus;

FLORA ET ALCON MV-
TVO SE AMANTES.

CARMEN. XIIII.

Micat sicui præstitam fidem seruat,
Lætoq; ridens annuit uenus uultu,
Dici beatus hoc magis potest nemo.
At siqua amantem perdite est uirum nacta,
Cupidinisq; uinculo tenet uinctum,
Felicitati iam sibi uiam facit.
Sed siquis ardet, nec parem refert ignem
Grato ex Amore, nec sibi modum ponit,

Miserrimis æque omnibus miser uiuit.
Quod ne superstet prouidis onus uobis
Cauetis unà, mutuoq; uos inter
Pendetis affectu, unicáq; consensus
Dulcem tenore ducitis pio uitam.
Sic hæret ulmo proxime diu uitis.
Inseparato compari gemit Turtur.
Vno Palumbes congerunt loco nidos.
Adiunctus uni pipilat suæ Passer,

AD HIERONYMVM Actionum
Auogarium Taruisinum commenda
tio tabulæ, quam pingendam,
et ornarnandã curauerat.

CARMEN. XV.

Abella diuæ dedicata Palladi
t Pictore nuper diligente prodiit,
Spectanda nobis, et colenda posteris:
Ni prorsus obstet temporum uecordia.
Hanc mirus addens artifex lignarius
Circum columnas et coronam, reddidit
Maiore dignam protinus spectaculo.
Tantum decoris contrahunt quæ proxime
Apte cohærent, et simul lucem ferunt.
Debetur istis certa laus, et forsitan
Vterq; nostro uiuet olim carmine.

At

At Auogari, qui studes hic inuicem
Certare summos, et subire dispari
Virtute censuram acriter spectantium,
Nec ipse laude debita fraudabere.
Pollêre miris haud parum est sic artibus:
Pictoria hic uelut, ille fabrili potest.
At his fauere, et hos fouere, splendidum
Et grande munus: Sed magis tanto quidem,
Quanto uidentur ista paucioribus,
Vt sint fauore quolibet dignissima;

AD PAVLVM DECANA=
LEM Patrit. Venetum eos
beate uiuere qui amori et
disciplinis incumbunt.

CARMEN. XVI.

Ilene, nam cum dulcis Euhyus tibi
s Inflare uenas cœperit,
Arcana claro cuncta cernis lumine,
Vltroq; uisa prædicas:
D ic, oro, quæ nam causa sic mortalium
Mentes inanes concitet,
V olens ut ullus haud uicem ferat suam
Sed quisq; prorsus improbet.
H æc ego, mihi cum reddidit contra Deus
Amotus ora cantharo,

N e quære quod mortalis unquam uis nequit
Indagine ulla consequi.
S ic est, supremo sic semel uisum Ioui,
In æs ut Aurum uerterat,
F erroq; deinceps inquinarat secula,
Quondam beata et aurea.
H æc fatus ille munus ad suum redit,
Sitimq; sedat anxius.
A t tu per omnes Paule ne putes tamen
Id usquequaq; porrigi,
V t nullus unquam sorte contentus sua
Possit beatus uiuere.
V erum putato quos hiantes uideris
Vel semper his honoribus,
Quos Aura uulgi uentilat, uel rebus his,
Fortuna quas dat unica,
E os nec ulla sorte contentos, neque
Vlla beatos degere.
S ed esse multa, tristæ quæ uirus queant
Horum per artus spargere.
A t qui relictis anxiis curis procul
Vitam quiete protrahit,
V el qui puellæ gratus in sinu suæ
Amoris igne aduritur,
A ut qui sororum concitus sacris nouem
Phœbi furore ducitur,
H is pura mentis lux renidet omnibus,
Aerq; cedit nubilus.

H inc tu pudenti, nam sapis, cupidine
Raræ teneris uirginis,
E t uerba, tum modos amas, tum splendidi
Vultus nitorem suspicis ·
H oc præstat ægro sanus, hoc intelligens
Indocto Amator interest ·
I ngressus hanc tu semitam complecteris
Quicquid beatis conuenit:
N am singularis obtigit quondam tibi
Primis ab annis indoles ·
M ores secuti sunt et artes optimæ,
Quibus potenti cæteros
P ræcurris Ausu iuuenis, ac harum quoq;
Ardore flagras intimo ·
V terq; summus est et impotens Amor,
Vterq; cœlo prouenit ·
N utu tuetur ille se cupidinis,
Hic lege contra Pallados ·
Quis sorte non contentus hac? quis deniq;
Te non beatum duxerit?

AD ANGELVM CABRIELVM PATRITIVM VENETVM:
Viuendum esse, et amandum ·

CARMEN · XVII ·

u Iuamus, atq; nos amemus Lesbia

Vatum Catullus optimus cum diceret,
Non dixit uni, sed, ut opinor, omnibus.
Est uita rebus præferenda singulis,
At hanc uolentes perdimus semper tamen:
Et mille miseram spiculis confodimus.
Amare cunctis ac amari conuenit.
At cuncta subter sydereum cursum licet
Amore persitent, et labent discordia:
Hunc tamen amaris uocibus lacessimus.
Et nunc procacem nunc proteruũ nunc grauem
Vanumq; sæpe dicimus cupidinem:
Quasi cupido hæc sit grauis mortalibus.
At ni sit ista, quid boni relinquitur,
Dispersa in unum quod reducat amplius?
Natura cuinam deferet primordio?
Contraria, ut quæq; inuicem cohereat:
Nexisq; ab illis exeant uiuentia:
Ni uis Amoris id ministret abditi?
Sic est: malorum causa nos nobis sumus.
Vitam replemus perditis affectibus,
Vel quos inepti fert honoris ambitus,
Vel quos auara spes Lucelli comparat.
At ut rebellem atq; scelestam pellimus
Affectionem Liberi Cupidinis.
Quæ sola forsan cælitus nobis uenit.
Hinc Chabriele est, quod frequenter, nec minus
Prudenter admiraris esse pauculos,
Bene ac beate qui frui Vita uelint.

Spectare et illud huc uidetur maxime:
Quod ut perite faris et agis cætera,
Inter Sodales id uenuste comprobans
Ac tanquam adhortans sic eosdem, sæpius
Atq; eleganter uatis ore candidi
Viuamus, inquis, ac amemus Lesbia;

AD SEBASTIANVM MEDVLLUM Taruisinum, Neq; fidem maiorem, neq; Amorem firmiorem, quam coniugis.

CARMEN. XVIII.

V ne putato dulcius quicquam tibi
t Posse euenire carius'ue Medule,
Quam si fidelis mutuo respondeat
Amore Virgo, quæ uenustis moribus
Raræq; formæ uinculis te cœperit.
Sed nulla maior extat et patet fides
Amor nec ullus firmior, quam coniugis,
Quæ uix adulta patriam linquit domum,
Caroq; felix degit in sinu Viri.
Hanc ipsa nanq; uentilat facem Venus,
Vt uiuat, ut'q; crescat hanc semper fouet.
O quid quis unquam deligat beatius?
Quam sic amata re potiri prospere
Vt è propinquo hanc spectet, hanc ut osculo

Donet licenter, huic ut amplexum ferat,
Vniq; molli fas sit ut cubet thoro.
Quid si faceta dulcibus iuuet iocis
Et te iacentem tollat, et tristem leuet.
Ac mox decenti prole te reddat patrem,
Blesáq; circum uoce nati lusitent?
Nec litterarum studia prorsus quippiam
Vllo'ue pacto, ut arbitrantur, læserit.
Sed una curas auferens domesticas
Ardentiorem te per illa duxerit.
Hæc te putabit alteram se protinus,
Hanc temet esse cum putabis alterum:
Quin illa tuq; iam duo, nunc unici
Viuetis uno sub fauore spiritus;

AD HIERONYMVM BONONIVM TAR. IOCOSI ITINERIS DESCRIPTIO.

GARMEN. XVIIII.

q Vam me Bononi iuuerit lætus Dies,
Nec non Sodales optimos, qui candidus
Mihi refulsit nuper et Sodalibus,
Siquid iocosis uersibus uacaueris,
Qui penè risu prodiere conati,
Scies: et æque forsan, ac simul comes
Nobis inisses hoc iter, lætaberis.

Reuerteremur rure dum Marcellio,
Vbi egeramus biduum lautissime,
Currum faceti quattuor conscendimus.
Marcellus ægro nam parumper corpore,
Sed mente sana præditus forsan nimis,
Vt sæpe qui me salibus lacesseret,
Primus sedili se suo locauerat.
Secundus ipse sat pudens ad dexteram
Hærebam, ut illi sic facultas afforet
Me prouocandi maior hærentem prope.
At parte currus altera Aduogarius
Pancratiusq; Iureconsultissimi
Latus premebant inuicem, nec alteri
Cedebat alter, diuidentibus uelut
Suis adessent gnauiter Clientibus.
Interq; semet dissidentes maxime
De Iure nobis, Portio quæ sit loci,
Vel partiendæ prolis, et quid Eraum,
Se uelle signant eleganter dicere.
Ridemus omnes. Interim sed callidus
Marcellus, ut qui dirrimat litem ioco
Nouo iocosam, sic renidens incipit.
Quam nunc serena sint, uidetis, omnia:
Vates sed iste nobilis prædixerat,
Himbres futuros continenter uberes.
Statimq; fingit fabulam pulcherrime:
Fuisse quosdam, qui ratem iam pendulo
Fune alligarint turris ad cacumina,

Vnde esset ex tantis in undas protinus
Iactus, repente dissecatis funibus.
Secutus ad quæ risus est effusior:
Tam sæpe uatum sydus obseruantium
Prædictiones hi facete riserant.
At ipse contra iam fore id perendie
Contendo ueris auguratus sortibus.
Ac ut pari par redderem: quid heus tibi,
Inquam, ualitudo ipsa negligentiæ est
Tantum? ut reclusis nunc fenestris dormias:
Intraq; malis acidis cubiculum
Degas refertum, iam minante proximas
Astro procellas execrandas himbrium.
Quid plura? risu inemori nos diceres:
Tam penè uisum est, quod loquebamur, nihil.
Tum lætus unà quisque nostrum cœpimus
Cantare summas maximi laudes Iouis:
Et cæterorum non tacendas cælitum.
Illisq; habere multiformem gratiam,
Quod sic redire sospites nobis domum
Liceret, et iam rustici plenos Ioci.
Referre dehinc quæ rusticando fecimus
Iuuat, simulq; quæ legendo diximus,
Non usquequaq; negligenda forsitan.
Vt Alleotus optimus sodalium
Et ipse nobis opitulatum uenerit
Centum iocosis ampliusq; lusibus.
Ac nos lubentes postmodum perduxerit

Viſum uirenti fronde Citriaria,
Quæ cultor ipſe mirus hoc coegerit
Cœlo ſubeſſe quippe non idoneo
Illis colendis: fertur at uictor labos
Et cura uictrix impotens per omnia.
Vt hic uidere poma iuuit aurea
Pendere prono crebra de ramuſculo:
Virere quicquid undecunq; cernitur:
Sterniq́; lapſis floribus paſſim ſolum:
Olêre cuncta ſuauiter fragrantia.
Hæc quo fuere geſta nobis antea,
Eo petuntur et feruntur ordine.
Apricus inter collis hæc Panſacus
Non præteritur: laude ſed penè omnium
Maiore fertur, quam mihi dici queat,
Haud tam minutis prædicandus uerſibus.
Quis nanq; paruo carminis ſub ambitu
Laudes feracis prædii comprenderit?
Cultoris arte, non ſua ui cætera
Vincentis, et quæ fertili uigent ſolo
Protectione ruſticantis numinis,
Et quæ uetuſtum proſequuntur ordinem
Succeſſione proſpera colentium,
Hæc dum gerentes aucupamur undiq;
Quodcunq; riſum ſubminiſtret, interim
Dum quiſq; noſtrum oblitus eſt quidem ſui,
Adhuc canentes penè in Vrbem laſſuli
Intramus, ac mox hoſpitis noſtri domo

Læte recepti, rege discumbimus
Tapetas inter, et superba pocula;

CARMINA INSCRIPTA CODICI PETRARCAE, QVEM mihi dono dederat Lodouicus Barbadicus P. Venetus recenter mihi partus Amicus.

CARMEM. XX.

Libelle carior mihi
Auro et Lapillis omnibus:
Quos diues affert India:
Habere quem mihi dedit
Partus recenter optimus
Amicus, et dignissimus
Amore, quanto quis potest
Quenquam, ac honore prosequi.
Te sedula aperiam manu:
Grataq; cura perlegam:
Vt Auctor est uenustior
Multis aperte uatibus.
Donator est multis mihi
Carissimis recentior;

AD

AD · H · BONONIVM IN OBITV FILIOLI CARISSIMI ·

CARMEN · XXI ·

O Ctaui Animula Matris et Patris uita,
Quo ſubtrahis te? quo fugis? redi: perſta.
Ego te ad Parentes anxios tui ducam.
Mane columbule mi, mane puer dulcis.
Hei mihi, quid eſt, quod te tenêre non poſſum?
Sed umbra ueluti ſubmoues mihi tete.
Et uultus hic eſt quippe tuus, et inceſſus:
Octauius certe es Bononii Vatis:
Quem nocte ſemper, et die uocat ſemper
Triſti camœna conquerens miſer fruſtra.
Ornatus hic unde eſt tibi? et decor formæ?
Auguſtior, quam ſoleat, et Deum ſpirans?
O ſi ad Parentes ducere hunc te Amor poſſim:
Quam carus eſſes: quæ tibi darent grata.
Accede ſodes, huc ades Puer quæſo:
Huc ſuauium, huc mellite, corculũ huc perge.
Vidêris hæc dudum facere nihil uerba.
Sed hic quis eſt infantium leuis cœtus?
Aſſiſtit en te qui ſupra, et uolans circùm
Repente? quo te nubibus ferunt ſciſſis
Purum per aéra ad aureas Poli ſedes?
Quis dulcis aures perſonat meas cantus?

O te beatum, putre qui cito pondus
Humi relinquens, par tibi petis sydus.
Hæc per quietem uisa sunt mihi miram,
Dum me Bononi flebilis mouet casus,
Qui te immerentem perculit nimis nuper.
Quæ, si leuare non nihil tibi possent
Acrem dolorem, misimus Deæ iussu,
Quam tu solebas ad fluenta Permessi
Dulci sonantem prosequi Lyra Musam;

AD MARINVM LAMBERTVM: AMORIS LAVS.

CARMEN EX SOLIS IAMBIS. XXII.

q Vid hoc Marine, et unde suspicer dari?
Fidelium esse Amantium, sub altero
Vt alter usq; uiuat, et cor inuicem
Agit colentis in colente pectore?
Quid illud est quoq; ut magis uelit nihil
Et optet hoc, quod ardet: ac nihil putet
Honoris, atq; res amata, dignius?
Quid ut ualore nullius capi queat,
Amore nullius, pudore nullius,
Sed una semper ante forma prodeat,
Ametur et colatur una maxime?
At ipsa forte si perire contigit,

Tamen relinquit hæc sui cupidinem ·
Procul recedat hæc, idem hoc facit quoq;
Manet reposita mente Amantis unica :
Nec alteram ingredi sinit, sed eiicit,
Inepta siqua forsan hic erat prius ·
Amante prorsus est uenustius nihil :
Amore nanq; feruidus nitet, uelut
Domus renidet igne læta splendido ·
Amore constat omne quod uides, Amor
Decentis unus omnis est boni Pater ;

AD CORNELIVM CASTALIVM FERTINVM : IMITANDVM Petrarcam iis : qui eius generis poetica præstare uelint, quod in ea lingua, qua loquimur, cæteris præ= ferendũs est ·

CARMEN · XXIII ·

Irum uideri Vadius sibi quondam
m Dicebat id : Cum, aliâs acutus et solers
Vates, Petrarca scriberet frequens plures
Versus latine, et quid deceret expertus
Parum uideret : qua utimur tamen lingua
Veneres eum ita lepidi Poëmatis cunctas
Implesse, ut optimis quibusq; conferri
Graiæ, ac latinæ uatibus queat Musæ ·

Hæc ille: erat qui candidus simul Iudex,
Simulq; rerum doctus, et simul prudens,
Vtraq; lingua uir peritus, et grandi
Virtute miræ præditus senex uitæ.
Contra ipse quotiens elegans tuum scrutor
Ad me, Bononiumq; nunc datum carmen:
Et quosq; similes his frequenter emittis:
Te laude totiens prosequor statim iusta:
Quod lege ueteres æmulatus antiqua,
Nec sensa tantum, uerba sed quoq; illorum
Effingis, atq; par tibi decus quæris.
Cum uero Amores perlego tuos, qui nunc
Circunferuntur, miror aliter, ac ante,
Sentire te, qui solitus inclytos semper
Sequi Poëtas lydios, uelut Dantem
Seu mage Petrarcam, luseris graues olim,
Simulq; dulci concitos Lyra uersus.
Secutus at nunc perperam nouos quosdam
Vates minutos, præuenis quidem hos tanto,
Quanto è uetustis sumpseras prius pleno
Haustu liquores fontibus: sed haud æquas,
Quos tu solebas pristino uiros cursu.
Nec mentis hoc uitio tibi putem dandum:
Ni quod ita uis tu: sordidos enim primum
Exuere amictus, ut lubet, potes liber:
Mox aurea, quæ te decet, frui ueste.
Ornatus est nam puritas nouæ linguæ,
Splendorq;, et acris additus labor limæ:

Ne penitus extet barbara hæc recens aucta:
E barbarorum tum profecta conuentu,
Cum iam latinam pellerent senem sede.
Quod assequetur, qui sequi uelit uatem,
Etrusca cœlo quem datum tulit tellus;

PROSOPOPEIA F. MOLINI
APVD DAMASCVM OBE
VNTIS, AD SODALES.

CARMEN. XXIIII.

h Eu quã repẽte, quamq; acerbe uos petã
Tristi sodales nuntio:
Quos heu, parentes post meos, acri scio
Iri dolore concitum:
Cum rumor heu me tã breui affectum grauis
Vobis ademptum perferet.
Quo cessit ægro robur, et uigor mihi?
Flos quo Iuuentæ elanguit?
Ego patria sic oppetam dulci procul?
Meisq; prorsus omnibus?
O spes inanes, et leues quidem meas
Quocunq; curas tempore:
Dum nanq; agebam uos apud felix domi,
Me huc, uos relinquens, contuli.
Nunc uos requiro, uosq; nunc sero miser,
Frustraq; conor alloqui.

N ihil ne penitus proderit nunc? non opes,
Non forma, non genus mihi?
V bi ille, qui iam mouerat cunctos, decor
Cunctis refertus gratiis?
A n non superna sic tenêre numina
Sæuire ne uelint, potest?
V el lege firma quod semel sancit Deus,
Mortalis haud euaserit;

ALDO MANVTIO ROMANO HORVM LIBRORVM COM MENDATIO, ut pro sin= gulari doctrina sua eos re cognoscat, et pro dexte ritate imprimen dos curet·

CARMEN· XXV·

Itæ peractis Alde sex lustris mihi
Sunt cœpta, noster quæ libellus cōtinet,
Perfecta uero lustra post paulo decem·
Hinc est, quod annos, ut ferunt, nouem premant
Fortasse Vates, quicquid optant edere
Nulla inquinatum labe, si non omnibus
Queant refertum gratiis, si non ferit
Id semper arcus, quod minatur eminus,
Humana si uis optimum parit nihil·

His ergo, curæ quicquid impendi potest,
Nostra dabamus pro uirili sedulo,
Vt ipsa adirent maxime nitentia
Et culta prorsus posterum quondam manus.
Viuis nec essent protinus contemptui,
Librata lance si prius iusta forent.
Sic cogitabam non breuem meis dare
Vitam libellis, optime uelut mihi
Satis, et ex more educatis liberis.
Quibus futura est uita, opinor, altera,
Si, quod merentur, auctiores munere
Adoptionis hos tuæ dignaberis.
Id est, acute siquid hic inspexeris,
Quod rite dici possit elegantius,
Illudq; scitu pro tuo mutaueris.
Mox et nitenti ueste si circundatos,
Quam laude multa uatibus donas tua,
Domo parentis exeuntes duxeris;

AD HIERONYMVM ACT · AVO
GAR · MOMVM : LAVRVS
ARBORIS LAVS ·

CARMEN · XXVI ·

a Mantis olim laurus hæc Apollinis
Crinem decebat Aureum:
Circùm uirebat plectra, amœnum sæpius

Tegmen canenti fecerat.
E xinde uates arborem tantam colunt:
Et penè adorant seduli.
S ed inter omnes Lydium sub hac simul
Iuuit Poëtam ludere,
I uêre eódem semita uelut data
Frondes petîtum plurimi.
S ed sæpe frustra, uixq; spectanti procul
Frondes uidere contigit.
T am difficilis est aditus, ac longo sacra
Recedit arbor tramite.
T u sorte uero Mome felici tua
A edis hanc solers prope.
E t nunc sub alto frondium cacumine
Auram uirentum mobilem
C aptas: honesto nunc coronam uertici
Viuo refringis stipite.
T ractasq; præsens, et leui interdum geris
Lectos manu ramusculos.
V mbráq; gaudens únius pulcherrima,
Vbiq; temnis cæteras.
Quondam Triumphos hæc adornans maximos,
Curruq; uecta principum,
D ocebat esse stirpium non infimam,
Quotcunq; tellus proferat.
Quod fulminantis haud Iouis negat manus:
Vnam quod hanc non percutit;

PEROLLA AD IPHIN: QVOD DE SE SVSPI CARI NOLIT ·

CARMEN, XXVII ·

Ex mentis, atq; corporis
r Mei potens et unicæ
Da semper operam, ut nos ames ·
S erua datam mihi fidem:
Fidus'q; promissis mane:
Velut facis quammaxime ·
E t quanquam agas id sedulo:
Nam me cupis solam scio,
Et præter hoc nil expetis:
A mor tamen sic excitat
Mihi furentem spiritum:
Vt cogar his te colloqui ·
N on quod patens ignis tuus
Extinctus usquam appareat:
Calor'ue sit uetus minor:
Quin immo semper excitum
Te miror: atq; sentio
Timore perculsum graui:
N e forsan alter hæreat
Amans mihi propinquius:
Et te misellum deseram ·
S ed sede montes propria

Prius moueri uideris:
Et retro ferri flumina:
Quam non perenni tempore
Te corde conditum intimo
Dulci geram cupidine.
Ac forte siquem detinet
Spes ulla nostri: hic maximo
Errore captus fallitur.
Nam talis est Amor meus:
Quem iam tibi dono dedi:
Qualis nequit qui diuidi.
Si me cor exoptat tuum:
Et ipsa te solum expeto:
Nec nox, dies'ue præterit:
Quin tecum agam: tecum loquar:
Tibi propinquem: te uolens,
Lubens, frequens'q; prosequar.
Si perdite me diligis:
Et ipsa te in terris colo:
Cœlo uelut missum mihi.
Tu uita, spes'q;, et corculum:
Tu quicquid est mihi boni,
Et unde pendent omnia.
Facessat ergo omnis procul
Abs te timor: Si me mea
Tibi dedit felicitas.
Nam quod semel fatum probat
Mutare nunquam paululum

Mortalis ullus quiuerit.
N e uita sit igitur grauis
Tibi: hoc amabò mi caue:
Ne suspiceris amplius.
F ac ut tibi mollis Thorus
Dulci quiete somnia
Perfusa semper præbeat.
H ei non parum me commouet
Leuis tua erga me fides,
Nec: ut deceret: credula.
V elimq; fias certior:
Te mi dolorem maximum
Afferre, quod sic hæsites.
D issolue falsam languido
Affectionem pectore: et
Causam doloris amoue.
A c si mihi uelis bene:
Nec quod ferat pœnam cupis:
Hoc sic ages, ut quærimus.
L ætiq; sic ambo diu
Aberimus ò nigris mea
Lux cogitationibus.
E t mille post annos erit:
Qui forte Amoris gratia
Tanti stupescat inuidus;

AD BENEDICTVM BERTOLDVM PATAVINVM. ELEGANTIS AMORIS COMMENDATIO.

CARMEN. XXVIII.

C Vm tu perusti detegis tuos mihi
Ignes Amicæ pectoris:
Languentis in me desides incendii
Vires resumi sentio.
A cuta quin et expediri spicula,
Arcumq; neruo contrahi,
Quo me frequenti sauciare perditum
Amor solebat uulnere.
Quis nanq; flamma pulchriore aduritur?
Quis lentiore fomite?
A rdes beatus uirginum pulcherrimam
Quotcunq; uiui marginem
F ontis frequentant, qui puellis proxime
Aditur unus omnibus.
H abes et unde lenius sub hoc tibi
Ardore pectus æstuet,
Quod usq; pura fluminis Lympha sacri
Foues inusta uulnera.
H umorq; uires his leuandis sufficit:
Calorq; contra nititur.
S atient ab iisdem quippe ui tam dispari

Latex, et ignis fontibus.
Quid non amando ferre: quid non perpeti:
Quid non adire possumus?
Iam qui ferarum contudit uictor minas,
Iussis puellæ paruit.
Adnabat iras turbidi temnens maris
Viso Leandrus lumine.
Caram petiuit ditis ad sedes Lyra
Vates canora coniugem.
Tu subter undas ureris, dum Naiada
Vndis latentem quæritas;

SOMNII: SIVE NON FALSI
VISVS IMAGO.

CARMEN. XXIX.

Deest Deum munus sopor:
Mortalium dulcis quies:
Vos curæ abite in maximam
Obliuionem pessumæ.
Abite, quid moramini?
An semper altera alteri
Succedet? ac iugis uago
Ritu scatebit fluminis?
Non quippe: nam uos aut mero
Tristes abunde diluam:
Aut uos puellæ uerbulis

Tandem resoluam blandulæ:
S ternetur hic mollis thorus:
Spirabit hic olens Rosa:
Pulsabit elegans puer,
Virgo canora succinet.
O brepet oculis languido
Sensim mihi lenis sopor:
Lætæq; menti somnia
Optata semet offerent.
V idere uideor en leues
Ludentium iam iam choros
Nympharum ad undæ limpidum
Musis dicatæ Riuulum.
N um somnus hic est? an quies?
An uisus? án ne insomnium?
Videre quod uidemur, et
Dulci quiete perfrui.
Quid illa? quæ tot flosculis
Sertum euariat: aut quæ rosas
Legens rubenti è stipite
Illi ministrat sutiles?
O cui parantur uertici,
Doctæq; fronti præmia.
Cui Myrtus una Cypridis,
Phœbiq; laurus texitur.
N i forte nascenti modo
Vati Coronam nectitis
O dulce, et o perenniter
Fluentis Vndæ præsides;

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI IAMBICVS LIBER SECVNDVS AD HIERONYMVM BONONIVM POETAM TARVISINVM · POETIS DICANDA OPERA POETARVM ·

CARMEN EX SOLIS IAMBIS · I ·

Desto diua Pieris uolens
mihi,
Diu tuere munus hoc, quod affero
Tuo decente nunc in æde præsidi ·
Opus quod ipsa nam magis probaueris
Eo, quod ille qui Deas colit, uolet
Piis perenne nuncupare uatibus?
Tabella siqua diis dicetur illita
Potentis Artis inditis coloribus,
Videre pictor alter hanc statim solet
Amicus ante, quam probanda protinus
Vel improbanda proferatur insciis ·
Peritus ergo cum propinquat artifex,
(Quod auctor ipse forsitan nequiuerat

Amore captus interim rei) uidet
Quid illa peccet, aut quid elegantibus
Referta possit exhibere gratis.
Idem poëta iudicis gerens uicem
Aget sodalis in recente carmine.
Idem Bononi onus libellus hic tibi
Meus, tuo sed exaratus omine,
Dabit subire, me expetente Amiculo.
Polibis æquus, eluesq; sordium
Erit quod intus et foris faberrime,
Nec ipsa fraude gloria inquinabitur,
Vbi micare quid tibi uidebitur.
Locare carmen haud potest ineptius
Poëta, qui unicis dicat potentibus,
Prius nec auris erudita quæritur;

AD ANTONIVM VONICAM TARVISINVM: Intermittenda interdum philosophiæ studia, et mansuetioribus Musis uacandum.

CARMEN. II.

Lterna quæ non requie lenire laborem
a Vis sueuerit mortalium,
Vonica assiduo sub pondere uicta fatiscet,
Et semet ipsa corruet.

S ic qui Socraticis plenum sermonibus annum
Iam dediti peregimus,
H orrida ni placidis mollimus seria musis,
Intenta uel remittimus,
F orsan onus pressis humeris cogemur in ipso
Itinere fessi ponere.
I psa pares natura uices obseruat, et æquis
Alternat una legibus.
A rtificisq; manus uariant, et leua uicissim
Fessæ subintrat dexteræ.
I nterdumq; graui uates in carmine nugas
Prudens inanes inserit,
V t leuet attentos nimium grauioribus, utq;
Alacriores præbeat,
E t uegetos reddat magis ad discrimina rerum,
Siquando nodus incidat,
Qui solui dignus mentis perstringat acumen
I ntrinsecus spectantium.
S ic interpositis paulum leuioribus ipse
Vicem rependes seriis:
E t quo laudatus cœpisti carmine perge,
Gradumq; profer longius:
D um positis reliquis acres ego conor iambos
Aptare dulci Barbito;

AD LODOVICVM MARCELLVM
H'IER. Equitem: eum sibi beatum uideri, propterea quod duabus gratiis, quibus ipse fruitur, urbana et rurali, tertiam superaddat, id est, quod his contentus uiuat;

CARMEN. III.

Arcelle, quo non alter est beatior,
m Si, quod beatum est, ipse tecum pensites:
Tibi frequenter, urbe uel ruri uelis,
Ludunt decentes hinc et inde gratiæ.
Tuam frequentat optimus ciuis domum.
Peritus omnis arte quauis artifex.
Musis amicus omnis et uates pius.
Aedes honestis commodis pares tuis
Lautis renident undecunq; sumptibus.
Vrbana profert hæc tibi se gratia.
Ruralis æq; nec moratur altera:
Vbi uirentis prædium collis petas
Vtcunq; amœnum, siue rupis horridæ
Antro, uel unda limpidi fontis iuuat
Spectare Nymphas, uel sacro passim deos
Luco uagantes, cum tibi purissimis
Pomona replet foetibus mitis sinum.
Cum flora sertis floridis ambit caput.
Et læta cornu prodit amplo copia.

Duabus

Duabus ergo sic beatus gratiis
Videre multis · At mihi diues, potens,
Benignus . ista sic fatemur singula ·
Totum negamus illud, ut beaueris
His te : Sed ampliore commodo, quod his
Contentus omni degis ambitu procul :
Nec plura quæris liber, et uiuens tibi :
Sororq; inhærens sic duabus tertia,
Quæ uera doctis creditur felicitas,
Hæc una reddit te beatum gratia;

REDEVNTI MVSAE ·

CARMEN EX SOLIS IAMBIS · IIII ·

q Vis hoc beatior dies, quis hoc iocis
Magis refertus omnibus ?
Puella, quam Sodalis huc meus mihi
Bononius reduxerat,
Pedes ad ecce constitit meos gemens,
Precesq; fundit uberes :
Vt ipsa semper, ac fuit diu, mihi
Adhæreat propinquius ·
Fugæ pepercimus, nec amplius graues
Pati serena quiuimus
Notare lumina et faces eam, quibus
Nitore uincit æthéra ·

Restringor arctius simul'q; conferor
Pari libentius pede,
Vt illa prodit, ut sedet'q; , et omnia
Ait, facit decentius.
Amabere ergo semper, et fouebere
Venusta post Lycen mihi,
Superba prole, dulcis arte filia
Cliûs Apollini Sata;

REDDIT CAVSAM QVARE VALEAT, ET ADHVC POETIS
Tanquam inter omnes scriptores
maximis oblectetur.
AD FLAMINIVM.

CARMEN. V.

Quid mihi Flamini properātes obiicis annos?
Natura quod profert onus.
An uideor tremulæ postes pultare senectæ?
Procul uel esse postibus?
Cum sæpe hanc faciem dicas, dum cernis eandem,
Mutare debuit dies.
Quam satius fortasse foret, si quod uideas, ut
Est, esse sic idem putes.
Nam non uana uides, color hic iuuenilibus ipse
Suis renidet uiribus.
Nam licet egrediar tria ter iam lustra perenni
Fallentis

Fallentis æui tramite,
S ic potui quondam labentis frena iuuentæ
Forti tenère dextera,
V t qui florentes primus uigor isset in annos,
Retentus hic seruus quoq;
A dsit, et ut graciles grato consueuerat artus
Præstare firmos robore,
I dem continua mihi me uirtute ualentem
Seruare adhuc pergat potens,
L usibus ut placidis interdum ludere curem
Curis solutus omnibus ·
D eliciasq; inter, terrestria munera sanctos
Iuuet poëtas uoluere:
Q uos tu nescioqua ductus ratione, leuiq;
Causa uidêris spernere ·
C um tamen, hæc etsi facias, incedere uates
Inter poëtas nobilis
V isus es hoc ipso, quo ludis carmine Musas,
Caputq; lauro cingere ·
V tilius sedenim nullum conferre poëtis
Mortalium genus queas,
Q ui tibi, non ut ais, nugoso ludicra uersu
Vanasq; fabellas ferant,
S ed qui cum primum dulci medicamine curis
Animum leuarint tristibus,
M ox hominum quicquid ualeat conducere uitæ,
Auidis ferant in auribus ·
N on hic Pieridum cultoribus addere laudes

Instituo, quas suas habent.
Sed tamen, ut breuibus dicam quae sentio cunctos
Cum penè scriptores legam,
Seu qui per rerum causas spaciantur anhelo,
Plenóq; nunquam pectore,
Aut quos imprimis ueterum iuuat acta uirorũ
Verbis referre grandibus,
Vel quoscunq; alios, uario qui è semine mentis
Fœtus legendo comparant,
Et sapere humano quodcunq; et dicere more
Passim uidentur cæteri:
Vnus at inter nos fari cœlestia uates:
Forsan quod inde prodiit;

CVM ALIAS RES AGEREM, PE=
tiit de me Amicus, qui pueri formam
carminibus descripserat, ut Puel
læ speciem luderem, quod
cum frustra tentarem, in
hoc principii tandem
carmen ipsum ex
sese prorupit.

CARMEN. VI.

QVid hoc negocii est? quid hoc mali caput
Sedemq; mentis occupat?
An non Amicus quod petit carmen queam

Vel

Vel qualecunq; promere?
A micus ipse qui potest uno decem
Mutare uersu carmina·
F acessat hinc meus uerendus hic pudor,
Metus'ue, uel torpor mihi·
C onemur omni, sic iubet, ui, uirginis
Formæ decorem dicere·
T e Musa, quando tu puellarum es decus,
Fauere cœptis conuenit:
A des benigna, et hic tuas propinquius
Partes tuendo sustine·
F ormosa primum haud est mihi, cui largiter
Natura non succurrerit:
A b arte sed petit hæc, quod optat Auxili,
Fucataq; incedit, uelut
C onspersa non suis Auis coloribus·
Nec illa contra pérplacet,
N atiua cui si contigere plurima,
Ipsa hæc iners non excolit.
V trunq; sed sortita, diligentius
Quæ seruet id, quod obtigit,
H æc una digna est quæ placere debeat
Amanter intuentibus·
I ntectus auro cui capillus uertice
Non elaboratus nitet:
S ed negligentem ferre diligentiam
Præ se uidetur pendulus·
Quæ cuncta callet, atq; rebus gratiam

Suam quibus'q; comparat.
M icant ocelli fronte, sed condit modis
Vel promit hos decentibus.
T acet uicissim, nec loquacibus strepit
Inter loquentes uerbulis.
D ecenter incedit, sedet'q; molliter
Aptis uenusta moribus.
C olore quouis grata, si succus subest,
Candente quanuis gratior.
P rocera, recta, gracilis, ut nolit tamen
Artus habere iunceos.
S uauem puelli nobilis formam trahit,
Ridentis ut cupidinis.
P udore risum temperans tamen, iocis
Honestat æqua dulcibus.
C ontenta solo, quem sibi elegit uiro
Secum ipsa quod gaudet, sapit.
Quod si minutim forsitan magis cupis
Amice dici singula,
D ecora comis apta dulcis blandula
Pudica præstet cæteris:
Quæ digna uate, digna musarum choris
Inter puellas ambulet;

ALCIMI·ET·ALCONIS AMOR.

CARMEN. VII.

l Vdunt lasciuæ cloris'q; et flora puellæ
Viridi in solo propter scatentem riuulũ·
Spectant formosi puer Alcimus et puer Alcon
Montis latenter ex reposto uertice·
Illæ se gelidis perfundunt sæpius undis,
Glabella nudæ crura, nudæ pectora·
His at sæpe pedes titubant, et pectus anhelum
Amoris igne percitis inæstuat·
Hinc Amor Alconis subito tibi candida Clori·
Ardenter illhinc deperit floram Alcimus·
Floram, quæ fusco quanuis conspersa colore,
Aequat uenustis cæteras tamen modis·
Hinc et uterq; suam præfert, et laudibus ornat·
Dulci'q; secum perfruuntur murmure·
Hac, Alcon inquit, nusquã formosior ulla est·
Quacunq; terras alma lux obambulat·
Aspice quam lato distant discrimine Mammæ,
Solido'q; ut orbe proditæ foras tument·
Molliter ut pleno subsidit pectore uenter,
Suffultus aptis undecunq; cruribus·
Vt femur Aureolæ primo lanuginis ortu
Villis decenter pullulat florentibus·
Vt niueus toto pellucet corpore candor:
Extentus auro quem capillus integit·
Mollibus ut tota est arctis'q; amplexibus apta·
O nos beatos, quis uidere hæc contigit·
Hæc Alcon· blando quem suscipit Alcimus ore:
Erat libenter ut facetus Alcimus·

O te felicem magis, hæc si tangere possis.
Vidisse nanq; sit satis floram mihi.
Quæ mihi me nutu solo ridentis ocelli
Proterua dulci nunc rapina sustulit.
Et capto grauibus nodis innexuit artus:
Quibus nec ulla me dies reuoluerit:
Nec faciet, quin hanc speciem sub pectore seruē,
Magis reuinctus usq; lentis uinculis.
Alanius hæc. Quæ nō contra probat improbus
Furit sed impotens et impatiēs moræ, (Alcon:
Et sæpe occultas agitat, mutatq; latebras,
Motis frequenter hinc et inde frondibus.
Donec proripiunt pauidis se cursibus illæ,
Visas ut altis sentiunt se rupibus:
Hi uero immoti pendent, uisuq; sequuntur,
Quocunq; fessæ delitescunt abditæ;

PROSOPOPEIA IRASCENTIS PRIMVM, DEINDE QVIESCENtis senis N. F. ad Bertutium Lambertum prim. Tar.

CARMEN. VIII.

Nultus ergo semper, et lenis queam
i Pati malignæ mentis acres impetus?
Inultus usq; si uero nequissimum
Caput referre præmium superbiæ?

Qua, ſicut Anguis tollitur tumens, furit
Liuore percitum ferox, et improbum
Os quaq; uerberans mouet, neq; ullius
Rei mouetur gratia, quin hoc probos
Et immerentes impetat, uelut canis
Ignobilis, quæ dente cum nequiuerit,
Complet timendis cuncta mox latratibus.
Non ita: nec ultra nanq; morſus nec minas
Ferens inanes patiar, ut diutius
Vexentur impune innocentes ſontibus.
Ius ſuadet atq; iure uis potentior
Inſerta naturæ iubet, quæ mitibus
Feris et arma præbuit ualentia
Superbientis impetum propellere.
Vt hæc locutus eſt ſenex, et abditi
Fortem reclusit pectoris ſententiam,
Paulum moratus leniora protulit.
Quid quisq; uulgo proferat, nullus ſatis
Cauit, nec unquam cauerit mortalium.
Eſt nanq; eorum plurimum paſſim genus,
Qui ſcire ſe, quod neſciant, certo uelint:
Et cuncta norint et loquantur perperam.
Leges quibus nullas labor prudentiæ
Imponat unquam, det'ue, quē ſeruent modū:
Repente ne, quod ſentiunt, prodant foras.
Horum tumultus nemo, qui ſapit, putet
Vnius aſſis æſtimandos protinus:
Sed ut repentes, ſic fugaces autumet.

Vides Amicæ quam sit eiusdem senis
Diuersa curis mens soluta turbidis.
Quibus retentus ipse iampridem leuis
Furebat iræ semiustus ignibus.
Hunc tu secutus quid loquatur inuidum
Et turpe uulgus undecunq; temnito.
Ictus nec atri prouidus dentis time,
In imparatos sæpe qui sæuit ferox:
Falsis satis nam feceris rumoribus
Virtutis amplo sic opertus tegmine,
Agens frequenter plura, quam dici uelis
Egisse, nec placens tibi, neq; éfferens
Te laude dignum, laude ni dignum facis.
Hi uerba metuant, garrulasq; fabulas,
Peccare quos minus pudet, quam inanibus
Vulgi per ora deuolare fabulis;

AD ANDREAM TRIVISANVM FELTRIENSEM PRAESVLEM:

Magnam partem beatæ uitæ quietem esse, quæ de sedata mente proficiscatur.

CARMEN. VIIII.

Ertur beatæ magna pars uitæ quies:
Quā non honorū non opū uires ferūt:
Sed mens mouere turbidas curas potens.

f

Illis potiri tu licet satis queas:
Hæc ni quieta, ni procul curis siet,
Nec illa multum proderunt quidem tibi ·
Expertus hæc tu noris, ut nullus magis:
Oratione qui graui mecum soles
Mentes inanis et leues mortalium
Ridere curas, ut satis nunc sit mihi
Monere solum, quo loqui tecum uelis:
Ne quod frequenti dicitur prouerbio,
Ineptus ipse nunc Athenas noctuas,
Vel sus Mineruam, uel breuis aquas freto ·
Tibi ne quanta nos premant homunculos:
Seu sors subornet illa, uel necessitas
Impellat, aut mens ducat: Hæc doctissimo
Summaq; narrem prædito prudentia?
Dicam'ue quantos impetus sensim parit
Receptus affectus semel animo grauis?
Ac ni quis illos protinus trudat foras,
Eos potenter ingruere in horas magis?
Non his eges tu, sed penum ut mentis sacrum
Tantum recludas, nec aberit presto efficax
Medela tristi profutura uulneri;

AD TRYPHONEM CHABRIELVM PATRICIVM VENEtum: uitæ propriæ immutationem, immutationis'q; detestationem ·

CARMEN · X ·

Etate prima iam fuit Tryphon, dulcis
a Scatersq; abunde plurimis bonis uita.
Cum grata læto res mihi foret nulla
Vacans amore, dulcibus iocis, musis
Musis amantium leui ioco plenis.
Ridere nobis cum liceret exorto
Ab sole ad alteram dieculam prorsus:
Fieri breuem quam dormiendo oportebat,
Vt noctis exactæ uicem resarciret.
Amicus hinc cum luderet lyra uersus.
Referret illhinc cum puella fabellas.
Cum Phœbus inuicem Venus'q; certantes
Noctu Lyæon et die fatigarent.
Cum fessus urbe rus petens relinquebam
Molestiarum siquid esset in porta,
Ferens cachinnorum integrum gregem mecum.
Vbi riuulos scatentis undulæ spectans
Aestum leuabam uno uel ipsius uisu.
Vbi uirentis ingredi comæ lucum
Mihi licebat intuentibus Nymphis,
Faunos ut altis montibus leues acri
Excipere fessas uideram feras cursu.
Cereris ubi et pomonæ, ubi palis et Bacchi
Dulcis honores deferens donum rure
Vescebar epulis suauioribus cunctis.
Cum sæpe sacros interim choros phœbi
Et ruri et urbe inuiserem pius uates,
Si nomine hoc dignus uenio tamen tanto.

Nunc

Nunc ipse tota erro uia, nec in rectam
Solutus unquam turbidis feror curis ·
Qui nunc honores, nunc opes leuis tracto :
Vtrisq; cum longe tamen uolens absim :
Ad hæc amici sed trahunt, trahit uulgus,
Hic obloquendo, Hortando at exigunt illi :
Vt quæ mihi fugienda sunt, sequar prudens,
Et ut negociis dies uacet nulla,
Quæ differant, agantq; me omnibus semper
Horis, nec ullius quietis admittant
Locum, sed hanc mihi negent magis tanto,
Maiore quanto præmio mihi posco ·
Hæc, ergo ne est, an illa uita dicenda?
An uiua Mors hæc, illa sed Deum uita?
Cum summa pax, quiesq; summa prodirent
Comites mihi passu pari, nec hæreret
Lis ulla, nec contentio, malignæue
Rixæ proteruia contumax bonis unquam ·
Cum scelus abesset omne prorsus horrendum,
Vis omnis, error omnis, ambitus omnes ·
Amicus omnibus bonus bonis essem :
Lætus comes, Sodalis integer cunctis,
Quibus uicissim amor aderat pius, semper
Præ rebus omnibus colendus imprimis ·
Qui me priori redderet dies uitæ,
Statueret idem regibus parem summis;

HIERONYMO BONONIO.

CARMEN. XI.

Itæ priori redditus,
u Qua grata mi sunt omnia,
Itemq; cuncta libera
Curis solutus omnibus
Hoc quicquid est, primum tibi
Fero Bononi muneris,
Amice Candidissime
Musarum alumne maxime
Libellus est phœbi Choro,
Tibiq; amico conditus.
Amicus ut, leges libens.
Polibis ut doctissimus;

PAMPHILO QVA PARTE PO TEST, REFERT GRATIAM eorum, quæ audiuerat de Try= phone Chabrielo de se ab illo dici, et scribi.

CARMEN. XII.

Vondá reuertens Brixia meus Tryphon,
q Opinor anno superiore, rus petit
Et studii, et oci gratia: cum uix nouis

Vireret arbor uere primo frondibus ·
Casu huc ego applicans, eum uiso cupide ·
Et is uicissim fronte me læta accipit ·
Citroq;, et ultro collocuti plurima,
Vt mos amicis, cum diu secesserint,
Vterq; tandem sic in unum uenimus:
Vt de eruditis uerba haberemus, quibus
Fuisset interim ipse consuetudini,
Dum peregre honestis urbibus uagus foret ·
Hic tum recensens quos ubiq; uiserit,
Celebris eos quidem atq; magni nominis:
Ac te reponens inter illos maxime,
Heus, inquit, Aureli quod uni Pamphilo
Debes magis, quam cæteris, scias uolo,
Is nanq; multa laude te dignum putat:
Nec ore tantum, quod frequenter factitat,
Sed dulcis etiam celebrat arte carminis:
Et te libellis inserens doctis canit ·
Hic inquam ego, quæ mitis hæc benignitas?
Vt quem nec allocutus est unquam, neq;
Vidit, colendum duxerit Amici loco ·
Tibiq; reddens nuncioq; gratiam,
Demum ita ab eo discedo, ut optem proxime
Tuis potiri lucubrationibus ·
Ac post peractos inde nonnullos dies,
Optatus ecce mi liber fertur tuus ·
Quem auida legendum protinus sumens manu,
Poëma uarium, et eruditum, Pamphile

Mi grande nostri seculi decus, statim
Quam multa de me scripseris stupens lego:
Agoq́; passim plurimas grates tibi.
Et quando par est, me uicem rependere,
Non æqua uirtus sit mihi prorsus licet,
Amoris erga te mei pignus modo
Misi trimétros hosce tibi, qui proderent
Fecisse semper ante me quamplurimi
Mentem refertam dotibus miris tuam.
At nunc et istam colere, teq́; prosequi
Amore quanto candidum uatem decet,
Quem sic benigna mens amicæ iunxerit;

AD H. BONONIVM, REDITV RVM SE PROPEDIEM TAR uisium. interea uero, ut Amicis nomine suo Salutem dicat.

CARMEN. XIII.

Am iam niualē Feltriam relinquimus.
i Iussis Bononi gerimus en morem tuis.
Ad uos receptum cara amici pignora
Corpus feremus, mens enim uobis diu
Relicta semper affuit, nec úllius
Vestrum peregit immemor mihi diem.
Reuertar ergo parte rursus altera,
Minore quanuis, et morabor integer

Vos inter, uni qui tenetis alteram.
Vobis perenne munus hoc erit mei.
Contra sed ipse dulcibus uestris fruar
Conuictibus, doctisq;, et elegantibus
Facetiis, et allocutionibus.
Clemente cœlo, fertili passim solo:
Lætis uenustis grauibus æquis optimis
Bene institutæ Ciuitatis moribus.
O quid beatius queat contingere?
Quam illhic, ubi quis plurimos unus colat,
Idemq; plurimis ametur, ducere
Vitam uenusta in urbe, sed felicius
Astro uolente id, et fauente prospero.
At interim dum pauculos moror dies:
Qui mi supersunt, ut satis fiat bono
Huic, cui licet me detinere, præsidi:
Istos, quibus me deditum noris, precor,
Salute multa imperti Amice, quo soles,
Lepôre cuncta condiens tuo graui;

GRATIAS AGIT CVBICVLO, IN QVO, DVM FELTRIAE DEGERET, MORATVS EST.

CARMEN. XIIII.

q Vod te cubiculum commode frui mihi
In ocio plene uacanti litteris

Annum licuerit mensibus tribus additis
(Secesseramus huc enim isthac gratia)
Grates habemus, et tibi, quæ possumus
Maiora, cupimus et precamur cœlites.
Id est, ut æquis, et bonis semper patens,
Claudare cupidis, improbisq; , nec magis
Libenter, et benignius quenquam uelis
Accipere, quam si, cui sacer cordi est chorus
Musarum, eum forte huc uenire turbidis
Curis solutum contigerit, ut ocio
Ignobili, et amœnis queat salubriter
Frui uirentis Feltriæ secessibus;

AD CORNELIVM CASTALIVM FELTRIENSEM: INSTARE tempus, quo ipse Feltria discedat, et Taruisium se conferat.

CARMEN EX SOLIS IAMBIS. XV.

Abire montibus procul celerrime
Niues et himber urget, id quod antea
Diu monebat ater usq; turbidis
Opertus aër undecunq; nubibus.
Redire cœlum ad aptius Bononii
Iubet camœna, qua suum in caput solet

Recurrere unda, uim catenentis haud ferens,
Vt aptat ille dulcibus modis fides
Fides probante et modos Apolline.
Amicus hinc et inde plurimus uocat,
Moramq; nec probant meam, sed ut satis
Superq; qui recesserim diu, trahunt,
Ferunt, aguntq; iure me quidem suo.
Quid ergo Castali morabor amplius,
Vbi nec ipse temporis, nec ocii
Modus mihi est, utrunq; cum auferat potens
Et æqua uis sodalitatis, et loci?
Licet uidere paruulas aues statim
Recedere insimul, solumq; uertere,
Hyems ut instat. At leues homunculi
Nequimus id, quod insitum est minoribus,
Doceri, et inde rebus obsequi datum
Necessitatis ordinem ferentibus.
Eo ne forte te quoq; excitas? ut hinc
Salubris urbis, et docentis applices
Ad ocium, ualere ubi queas, simul
Et artibus uacare mentis excolens
Acumen, ut soles, bonis, quibus tibi,
Tuisq; grande, patriæq; fers decus.
Ego at fluenta limpidi Silis petam,
Tepens ubi aura, uerq; penè continens,
Gelata si hæc, niuisq; operta compares:
Vbi urbs referta gratiis decentibus,
Virisq;, moribusq;, qualibus decet

Bene instituta Ciuitatis agmina
Frequenter uti in ocio, et negociis.
Valere Feltriam sinamus horridam
Amicæ Bruma cum propinquat algida,
Furente quære sub calore floridam;

AD PETRVM BEMBVM, GRATV
LATIO VERONENSIS PRAE=
turæ Patri clarissimo demandatæ.

CARMEN. XVI.

D te nec ipse litteras diu dedi
Optate Bembe semper, et semper mihi
Altis adhærens cordis in radicibus:
Aliunde nec de me resciisti forsitan,
Qui Feltriæ alpes inter horridas latens
Annum peregi mensibus tribus additis,
Vix unde quisquam poterat effari tibi
Tunc quid agerem, quod admodũ paucis darẽ
Me semper unis artibus bonis uacans,
Quærens'ue siquis abditus recederet
Locus, frequente Ciuium molestia
Semotus, ignobilis ubi degens sacros
Intuerer Aonidum propinquius Choros,
Quæ uulgus odere inscium, nec uatibus
Ipsis uidentur, Aura quos uulgi tenet.
Nullis sed unquam præbui recessibus

Me tam remotis, quin celebre meas tuum
Adiret aures nomen, et scirem quibus
Tenêre studiis tu, paterq; qualibus
Fungatur usq; patriis honoribus.
Tum gratulatus, ut decens erat, tibi
Quæ digna uestræ prolis, et uestrum forent,
Ventura semper imprecabar munera.
Iam quale nuper audio patri datum
Præclara in urbe clarus ut prætor siet.
Valere uos omnes ubi exopto, senem
Auiam, Parentes optimos, Fratrem probum,
Te: si uenire illhuc, uel illhic degere
Tibi placuerit: at redire isthuc simul
Omnes item incolumes precor: opes, gloriam
Decus referre, cæterosq; patriæ
Obire honores te, Patremq; maximos,
Vt illa uobis, uosq; digni Patria;

AB MARCVM MAVROCENVM PATRICIVM VENETVM: AB AMORE DEHOR= TATIO·

CARMEN EX SOLIS IAMBIS · XVII ·

Vt tabis omnium miserrimum, qui amat:
Amore si quidem graui teneberis.

Tibi beatus hic item uidebitur:
Fauebit Aura si tibi Cupidinis.
Fit inter hæc quod ambigat nihil: premit
Vel eleuat, probatq; semper alterum
Amor, suprema non tenêre nescius.
Nimis dolebis ergo, uel leui nimis
Ferere gaudio, sed et metus quoq;
Et ægra te Cupido coget acrius
Amara quæq;, et execranda perpeti.
Id ipse sentiens, breui periculo
Caue puer, nec ulcus altius putre
Agi, sederé ue id diutius sinas.
Tenella siqua duxeris, manum statim
Sequentur apta. Si subinde dureant,
Vt assolent, inepta prorsus hæserint.
Tenebit Hinnulus, semel quod hauserit,
Diu: nec ille uerbera, aut minas timens
Lupata uector obstinatus audiet;

PRO PVERO.

EX SOLIS IAMBIS.

XVIII.

More siquis ardeat graui puer,
Habebit unde ferre pondus igneum
Queat, maliq; quo sibi paret modum,
Iuuenta agente id, hoc ferente tempore.

Senex nec ignis ipse uim pati ualet,
Sed est ut aridus, resistit impetu
Minus, magisq; protinus peruritur:
Nec eleuare debilis potest onus,
Quod usque congerens ferox amor diu
Subire cogit artubus trementibus·
Amabit ergo tutius tener puer:
Grauemq; ponet, ut uolet, cupidinem·
Erit nec illi inutilis recens Amor:
Sed excitabitur latentis indolis
Honesta uis, caputq; læta proferet,
Virentem ut uret hunc nouus calor magis·
Et hunc perinde mos uenustus excolet,
Vt exiisse gratiis decentibus
Putes· uel arma sic decorus induet,
Vt indidisse martium huic statim decus
Deum, qui equis, uirisq; sæuit, autumes·
Et inde gratus ipse ab arte plurima
Aget, loquetur, ut docente Pallade
Id expedire uel referre sentias·
Tot ex amore pullulat bonis Puer:
Quot ex amore carpitur malis senex;

PRO SENE·

SCAZON EX IAMBIS SOLIS·
XIX·

a More carpitur graui Senex nunquam,

Suis tenêre qui modum sciat rebus:
Minore nanq; ui, uel impetu fertur:
Calet minusq; temperantior factus:
Amoris ergo saucius leui cura
Amat, cupitq;, quodq; amat, cupitq;, ardet.
Sed ignis huic inest, ut ardeat semper:
Nimis nec urat, et tamen satis duret.
Quid hoc sit ipse, quam puer, prius nouit.
Cauetq; siquid improbe facit, prudens
Vt occulat: quod ille non potest, acri
Calore concitus iuuentæ inurentis
Magis, magisq; uerberum graues ictus.
Quod ulla si Puella non ineptiret,
Virentis, atq; perfidi latus uitans,
Sibi fidelem, et aridum senem malit;

AD BONONIVM ET PANCRATIVM Pyruchinum: Tris superiores odas, si non sententia, conuenire saltem inter se, quod solo pede iambo constent, præter ultimam, quæ postrema sede habet spondeum, ut sit Scazon.

CARMEN. XX.

T hæc Bononi, quæ legis, tibi forsan

Videntur et Pancratio uiro docto
Pugnare prima fronte, quod Senex dicat,
Negetq; non tantum Puer, sed audacter
Fortasse et impudens nimis, loqui contra
Conetur, atq; consulentis illudat
Voci superbus, et sibi magis credat.
Videatur at contra ita Senex ineptire,
In Amore puero ut præferat leuis sese,
Siccum uirenti, ineptum idoneo prorsus.
Verum solere multa sic simul stare
Vos non negabitis, remota quæ primum
Cum sint, olescunt inuicem, et ferunt unum.
Sic ipse magnus orbis, ut potest, unus
Apparet è contrariis satus multis.
Hoc et trimetri nunc sibi mei poscunt,
Sententiis qui protulere diuersis
Vnum quod extet, Cónsonetq; idem tantum,
Introspicere siqui abditum uelint sensum:
Quod si assequuntur re minus, Pedis saltem
Virtute præstant, nanq; iambus iis unus
Per omne rite cursitat celer carmen:
In Calce fessus claudicat nisi Scazon;

AD CHRYSILLAM, EAM ESSE cæteris uirginibus exemplar, quod ipsæ sequantur.

CARMEN · XXI ·

Ictre sicui non uidentur sydera,
m Nitere nec Phœbi soror,
Forsan nec illi Phœbus ipse fulserit,
Per quem renident omnia.
C ui tu uenustis non uidêris moribus
Ornata supra cæteras,
H ic non Chrysilla quid modus sit, quid pudor,
Nec quid uenustas nouerit.
E xemplar esse ne moreris omnibus,
Nec se morentur cæteræ,
Quin te sequantur eminens cœlestium
Munus datum mortalibus.
V t una cœlo graditur è tribus dea,
Quæ Paride præstat iudice,
I llamq; diuæ circuunt, uolentibus
Iunone sic, et Pallade,
S ic multa te sequentium semper Cohors
Circunferatur uirginum,
D ecusq; de te tale faustum contrahant,
E Venere quale sydera;

AD DANIELEM RHENERIVM
PATRICIVM VENETVM.

CARMEN. XXII.

P Erfectus est, quo iusseras modo, mihi
Nelphus, Rheneri Daniel doctissime.

An assecutus quod uolebas fecerim,
Videto tu, qui cuncta calles optime.
Et græca uersas semper exemplaria.
Latina nec tum sedula ponis manu:
Nocturna tanta est, et diurna lectio.
Sat habui ego in re isthac gerere morem tibi.
Sed ferre non est integrum sententiam
Mihi, sit hic ne rite quid fauentibus
Textum camœnis: an quod insertum male
Aberret intus staminis sacri caput:
Id non eadem dirigente dextera.
Tu iudicato, num mouendum quidpiam
Addendum an est, uel corrigendum: seu magis
Dandum lituræ, quicquid est, quod scripsimus:
Vt iam incubuit Aiax ferox in spongiam;

CARMEN. XXIII.

CHARON ET NELPHVS.

Ch Tat, quis hic est? qui ratem premit tantus.
a Forosq; solus occupat iacens cunctos
Opertus armis, et manu tenens hastam?
Hem stertit, hui, quid hoc? nec attigit Lethen
Soporis atq; obliuionis infernæ
Fontem perennem. ah nosco: dormit, ac non dum
Vitæ peregit semitam datam fatis.
At excitandus protinus mihi somno est,

Ne Cymba fluctuet Sed heus·quid hoc? heus tu:
Quid? excitari non potest, tamen stertit.
Adhibenda uis hic maior est: dolo nanq;
Isthuc peractum: et casside hac mihi primum
Caput leuandum. Proh triplex canis rictus:
Quam grauis odor: quámq; efficax inest uirtus:
Nam penè me incautum, et sopor malus cœpit.
Ponenda teres est quoq; sudes manu, nequid
Ferociter faciat, et impie ignarus.
Vertendus et faselus optime ad littus:
Hic qui Marathron dicitur frutex Graiis
Carpetur atrum uirus hoc mihi contra.
Peruenimus sed ò iam, et egimus cuncta,
Quæ oportet: is nanq; experrectus assurgit,
Minaxq; comparem lacessit audacter.
Sed est rogandus, edat ut rei causam,
Armatus huc cur uenit, et soporatus.
Heus tu. Tibi iterũ dico quis es? et unde huc te?
Nel. Agone certo. nomen est mihi Nelphus.
Fortissimum, et sæuum modo uirum straui.
Nunc alterum expositum super dabo pessum.
Ch. Pessum dabis quẽ? Nelp. Qui stat en procul con
Ch. Nihil est, ineptis ò fatue. Nel. Nihil? garris. (tra.
Expectat alter, quem tibi statim primo
Ictu reponam media Harena. at accedit:
Et calcar ego subdo. sed heu miser, cassis
Vbi est? ubi equus? ubi Hasta? quo feror præceps?
Vbi certo? nullus è meis adest, omnes

Liquere

Liquere miserum me, nec ubi siem, noui ·
Ch · Resipisce · et ede, quæ egeris, mihi primum ·
Ego cætera ipse postea ut scias, faxo ·
Nel · Apud uetusti Antenoris probas sedes
Equestris agitur ludus, inde ego uictor
Excedo, nec quo uenerim huc modo gnarus ·
Ni forte quod mihi accidisse Veronæ
Constat, doloso nunc sopore pertentor ·
Nam illhic equo dum sedeo, brachio insertans
Hastam trabalem, me repente uis omnis
Adeo reliquit, medio ut in foro starem
Immotus, aiebant, bibisse me diri
Potens stuporis poculum grauis succi ·
Tantum malignæ prauitas potest mentis ·
ch · Paulum morare, arcana dum fero uerba,
Et puluere inscribo hæc stygis Deo signa:
Mox audies, tibi accidêre qui Casus ·
nel · Moror, tibiq; accommodo libens aurem ·
ch · Miserande, nec minus Senex honorate:
Nam uera narras: et quidem fores uictor:
Obstaret inuida nisi fraus tibi, ni nunc
Sæuiret in te, qui malus dolus quondam:
Quanuis id haustu, hoc nunc odore patratum
Nam cassis intus spongia madet circum (est.
Tetro Cicutæ uel papaueris succo
Infecta, et aliis, quis inest sopor, rebus ·
Vereorq; ne iam ulterius id malum serpat:
Fatalis offert nam uia hinc tibi sese,

Et fila properant diripere colo parcæ.
Solamen accipe hoc grauis tamen fati.
Nam capiet omnes mox dolor tui tristis:
Euganeus ipse, uel Venetus erit præsens
Spectator: et mœsta efferent domo funus
Honore quanto militem decet summum.
At grata Taruisium Patria tibi ponet
Carmen, quod edet elegans tuus ciuis:
Te promptus inter Hectoras Charon sistam.
Nel. Quam dura conditio sit hæc mortalium:
Qui mi supersunt, uiderint:
H umanus ad quos scilicet spectat labor,
Quibusq; casus imminet.
A lter ut agat, uexetq; semper hos malis:
Bonis at alter auferat.
N os indecore quando nec peregimus
Vitam, perisse sic iuuet.
P ropelle lintrem, quo uelis, iam nunc Charon,
Meq; inter umbras colloca.
T ellure corpus conditum relinquimus:
Manesq; Cymbam scandimus.
Ch. Sat est: ades uirtute, nam latos procul
Fortissimorum Principum campos uides.
Quos inter esse, et ludere dabitur tibi.
Tenebit et te cura, quæ quondam fuit
Equorum, et armorum, simulq; gratia
Sequetur eadem. Tu modo non horreas
Vultus minaces, impetu qui te fero

Pauere

Pauere cogent protinus nouum hospitem:
Quousq; de te fecerint periculum,
An inter ipsos dignus admitti uenis ·
Tu perge contra, nec leues umbras time:
Quæ tangere haud te quippe, nec tangi queunt ·
Nel · Ludunt inanes ergo sic imagines?
Et fulgor armorum nitet?
Errant'q; passim prata per, et agros equi
Læto soluti in gramine?
O me beatum, si locus detur mihi
Vel inter hos nouissimus ·
Nam satius est ita esse summorum infimum,
Quam generis infimi caput ·
Ch · Sic est, sapis nam, et ego quod annumeror Deis,
Malim subigere sutilem hanc conto Ratem,
Quam Rex caducis præfici mortalibus ·
Nel · At ipse quamuis Læter his addi uiris,
Peperere qui quondam sibi,
Et patriæ quoq; splendidum factis decus,
Repetere superos nunc tamen,
Illhic'q; quam uis perpeti sortem uelim,
Vobis'q; regnum hoc linquere,
Et quicquid est, quo sic superbe uos nimis
Inaniter'q; extollitis ·
Ch · Adhuc relictis inquinatus sordibus
Humana sapis, et loqueris, ac non dum miser
Purgatus induis alterum uitæ modum ·
Diuina sed cum poteris animo consequi,

Conferre'q; Humanis, statim illorum tibi
Intercapedo sic patebit eminens:
Vt inter illa protinus, quæ sunt nihil,
Et quæ perennant usq;, distat maxime.
Quod nanq; retro dixeram, non lædere,
Lædi nec ipsos Inferos, sic accipe.
Nullis eos periculis obnoxios,
Nullis subesse, qui boni, laboribus.
Sed esse uere, quando nec pati queunt,
Nec interire, nec labare quippiam,
Aeuo perenni cum fruantur, et polo,
Astris'q; semper prosperum micantibus.
Nec esse scito uos, uideri sed modo.
Nam qui potestis esse? qui sic perpete
Fluore abitis semper? etenim dicier
Id esse uere, quod manet, solum potest.
Aeterna sunt, quæ sunt. ad horum cætera
Responsum abesse, nec esse, uere dixeris.
Huc ergo cum applicatis, id, quod erat putre,
Primo relinquitis: Merita dehinc gnauiter
Pensantur æqua lance, danturq; omnibus
Felicitatis, aut miseriæ præmia.
Nel. Miranda narras: et tibi grates ago:
Errore quod leuaueris
Me, cui beatas ut adeam sedes uolens
Sermone sancto suaseris.
At dum locutus optima hæc pergis, prope
Iam Littus ecce uenimus.

Et,

Et, ut uetusto dicitur prouerbio,
Vector, facetus est comes,
Longam paludis semitam fefellimus
His adlocutionibus ·
Ch · Descende, quo te nobilis fati Decus
Ducat superbum Héroas inter optimos
Redibo reliquas ipse ad umbras protinus,
Quæ me morantur transituræ : tu uale ·
Nel · Ita faciam, ut iubes, Lubens · et tu quoq;
Nostri memor Charon uale;

AD · D · RHENERIVM, IN LVPVM: IDEST IN FATI Violentiam ·

CARMEN · XXIIII ·

Heneri oberrans his oues agris Lupus
Immanis, aufert clanculum pastoribus
Prædam frequenter : sæpe ui rapit quoq;
Dorso reponens, iis uel inspectantibus ·
Sic omne miserum deuorat passim pecus ·
Sitit'q; semper sanguinem, et perit fame ·
Apud fluenta limpidi nuper Silis
Alebat Agnam Ligdus addictam mihi,
Quæ spes futuri postmodum gregis foret ·
Hanc ille satagens capere clam primum parat ·
Sed postquam id incassum agere se lusus uidet,
Cunctis adortus uiribus paruam rapit :
Clamante frustra proditi gregis duce ·

Agrestis omnis tum iuuentus horruit.
Ligdum miserta, meq; qui tanta cito
Spe sic ceciderim. At ipse perculsus graui
Casu, ac peculi protinus mei memor,
Ne rabida in ora negligens id quoq; darem:
Repente solitas ardui sedes iugi
Scandens, quietis pristinæ specum peto.
Ibi ad Scatentis riuulum Lymphæ sacrum
Nymphis recessus abditos amantibus
Secure in altis montibus pascens pecus
Spem solor acri tibiæ uanam sono:
Contentus æqua sorte, quam parauerit
Contemptor Animus sobrio meus mihi:
Cum desit æque, sit'q; mi super nihil,
Frugi ferente sic utrunq; Copia,

BLANDITVR INFANTVLO
N. SALOMONI. P. VE
NETI FILIO.

CARMEN. XXV.

Assidia aufers mensium Matri decem
f
Nunc orte Puer: ademeris febrem patri:
Auis perennem pectoris curam leuas.
Affers et iisdem dulce cunctis gaudium:
At ipse uates nuntium felix tibi
Fero uicissim è gratiis missum tribus,
Nouem'q; Musis, unico'q; Apolline.

Ridebis

Ridebis infans protinus Parentibus.
Et ora uinclo blanda cum dissolueris,
Gratis facetus insonabis uerbulis.
Aetas olescet sed tibi cum grandior,
Virtute fructum proferes annis parem.
Ciuem parentes qui deceat ambos dabis,
Et Valerianam et Salomoniam Domum:
Qualemq; summis optat in negociis
Perfectum ad unguem Principem Res publica,
Quot iam fuerunt omnium iustissima;

AD ANNAM PANNONIAE REGINAM PRO TARVISIO CIVITATE.

CARMEN · XXVI ·

r Egina priscis orta quondam Regibus,
Regiq; coniunx dedicata maximo,
Regumq; mater mox futura fortium,
Gratatur haec nunc ciuitas omnis tibi,
Optatq; faustum hoc semper, et felix iter,
Vt laeta sedes regiae uisas domus,
Regnumq; crebris urbibus late potens,
Gentemq; Marte prosperante nobilem.
Sed quod precatur omnium quammaxime est,
Vt sospes ipsa Sospitem petas uirum,
Optata quem prae rebus optas omnibus.
Regalis hic tu protinus uultus sacram
Venerata Maiestatem, et acrem contuens

Ingentis Animi Spiritum propinquius,
Pasces beatis mille mentem gaudiis.
At ille mores aureos spectans tuos,
Tibiq; quanta corpori nitet Venus,
Et quanta miræ præsidet Pallas manu:
Ter mille lætus efferetur gaudiis.
Spectabis ut iam dispares hic legibus
Gentes adæquet, ac fruatur aurea
Nunc pace, bello sæuiat modo truci,
Et mille decies efferere gaudiis.
Prosternet ille perfidos turcas, aget
A patria, à fide, et bonis uictor procul,
Consilii eris tuq;, et Trophæi particeps:
Et mille capient centies uos gaudia.
Summis honustam proferes prolem bonis:
Reges uidebis regio de sanguine
Dulcis Puellos: mox iuuentæ præditos
Virtute, qualis unicæ satos decet
Regum uetusta stirpe: eruntq; sæpius
Sic mille uobis millies tum gaudia.
Hæc Prætor urbis Salomonus, et tuo
Vrbs omnis aduentu alacris orat cœlites,
Cupitq; adire sic preces Deos suas,
Tibi ut dicato fundit illas pectore;

AD GALEATIVM FACINVM
PONTICVM PATAVINVM.

CARMEN. XXVII.

siquan

I quando nostri carminis partem leges:
s Quæ post tumultus edita est mẽtis mihi:
Impulsus ad quos uenerã et nolens le=
Iubentibus mihi sic Amicis omnibus: (ues:
Siquando ficta nuper, inquam, uideris
Mihi, camœnis ut prius fauentibus:
Amice rare, uirq́; recte Pontice,
Multaq́; uariarum arte rerum prædite,
Mirere ne tu, forte si prioribus
Apte cohærent, cónsonantq́; gratiis,
Quæ me profano rite uulgo segregant.
Optarat omnis Ciuitas: omnes boni
Concupierant occasionem hanc mihi dari:
Qua proueniret iugis, et frugi meis
Rebus bonorum sat decens accessio.
Vitam subissem lautiorem forsitan,
Si consecutus id fuissem. sed tamen
Hoc non adepto prospere mihi, graue
Fatum quietis pristinæ nil abstulit;

PROSOPOPEIA DE AMO
RE CONQVERENTIS.

SCAZON EX IAMBIS SOLIS.
CARMEN · XXVIII ·

Ris ne carnifex Amor satur nostri
e Cruoris unq̃? an improbas manus semper

Mouebis? atq; saucium hoc iecur tantum
Petes iniquus, et memor parum iuris?
Quod arma nequis inferat iubet capto.
Tibi frequenter heu manum dedi uictus.
Et ulcus ipse millies reuelaui
Vbiq; putre redditum die longa.
Nec ulla lenit id Medela, nullum'q;
Leuamen intus Ardor excitus sentit:
Sed uror usq;: nec satis tibi uisum
Ferire pectus impio probum ferro:
At uris, ignis admouens faces diri.
Fero tamen libenter hæc miser cuncta:
Volens'q;: credat hoc quis? et fouens ignem
In igne uersor, ut feram ferunt quandam
Camino inesse sæpe nec pati ignito:
Sed inter ire, quo magis queat, flammas;

AD HIER. BONONIVM.

CARMEM. XXIX.

Ide Bononi quæso si sapis ride:
Nam rideo ego, ridere cui nefas esset,
Sentire si, quæ uulgus assolet, uellem.
Mirere nec tu, si fidem mihi frangit,
Qui stare promissis nequit, nec hærere
Diu suismet consonans potest dictis.
Istius esse hunc ordinis scias morem:

Vt alterum ore, pectore alterum gestent:
Nec, idē ut loquantur, sentiantq; idem, curēt.
Sed cuncta semper perfide his loqui par sit
Et facere, ut est genus hominū id quidem neq̄:
Quod iam Lycaon hic reliquit, excedens
Pio uirorum uersus in Lupum coetu.
Ride ergo, et aeque rideant amici omnes:
Sed risus hic mortalium petat casus,
Curasq; inanes exagitet: et irridens
Hoc quicquid est, quod sic probamus insani,
Id omne mecum ducito nihil sanus;

AD L · POR · ET N · ANG · VICENTINOS: NONNVLLA PLAtonicae disciplinae de immortali mente, insuperq; de ea parte animae, in qua perturbationes existunt.

CARMEN · XXX ·

Sthinc reuersus saepe mecum cogito,
i Quā me benigne uestrū uterq; acceperit
Amice Porci, et Angarane candide:
Quam uos libenter ipse contra uiserim:
Et multa nostrum quae fuere gaudia.
Dies ut omnis inuicem gratissime,
Et penè noctes colloquendo duximus.

Legistis ut mi plura, quæ fauentibus
Musis adusq; posteros nomen dabunt.
Non nulla uobis ut uicissim protuli,
Audistis ipsi quæ benignis auribus.
Vt quosq; me tunc alloqui doctissimos
Fecistis, omnesq; arte quauis præditos
Videre, uel siquid fuerat illis manu
Perfectum opus docta, uel urbis inclytæ
Perenne siquid, et fabre factum foret.
Mens igitur ad uos sæpe, qua potest, redit:
Vagatur illa nanq; quo uult libera.
Si uultis huius proferam causam boni:
Solum quod inter mala datum est mortalibus.
Immunis hæc nam lege cum foret necis,
Nec labe molis inquinata sordidæ,
Sic ipsa summo constituta Principi,
Cœpere Diui tum bonam primum boni,
Eiq; circum mox dedêre putridum, et
Mortale corpus, addito quoq; altero
Animæ caduco genere, cuius in sinu
Affectus omnis incubaret conditus.
Hic nam uoluptas est malorum maxima
Esca, et dolor, qui reuocat, atq; detinet
Vi, æstuq; mortales ab officio procul.
Audacia est quoq;, et metus, leues duo
Temerariique consulentes perperam.
Infrenis ira, spesq; inanis non abest.
Quarum furore cuncta pereat altera,

Mentisq́; tollit acre iudicium bonæ ·
At altera animi subruit constantiam,
Dum nos subinde credulos nimis facit ·
His ergo, Amoreq́; : cuncta qui uincit : simul,
Sensu'ue, qui ratione procul est, spiritum
Circunferentes condidere obnoxium
Morti, sed ipso puriorem corpore,
Diuina quo mens arctiore uinculo
Hæreret ægro colligata corpori ·
Sed ne propinquo tangeret mortalitas
Puram perennem uiuidam tamen situ,
Dispescuere singulis illas locis :
Caputq́; collo segregantes pectori
Animæ genus mortale sub præcordiis,
Mentem supremo collocarunt uertice :
Vbi suopte hæc usq; motu concita
Quocunq; pernix aduolat, nec temporis
Loci uel ulla intercapedo fit moræ,
Quin una ubiq;, et semper adsit libera,
Formasq́; in omnis, ut uelit, se transferat ·
Ni fallor, hæc sunt dogmatis Platonici
Exempta uobis inde quambreuissime,
Legenda studio promptiore forsitan,
Auctore quo sunt grandiore prodita ;

AD MVSAM, QVOD IN SCRIBENdis iis, quæ sub terra gignuntur, liceat Virgilium imitari, qui q̃ supra pullulant, Felicissime cecinit ·

CARMEN · XXXI ·

i Am me latenter deserit potens fauor,
Quem diua spiraras mihi:
Ex quo minuti carminis cœpi iocos
Te sic iubente ludere.
At maius ipsa nunc opus mouens tamen
Maiore ui nos excitas.
Vltraq; Paulum, quam prius, profers gradum:
Ac nos sequentes protrahis.
Iam non per ima ducimur conuallium,
Humiq; proni serpimus.
Sed grande sacri scandimus dorsum iugi
Obliquo anheli tramite.
Ac iam uidemur proxime sub editum
Prodire sensim uerticem:
Vbi haud uidere est floribus nitens solum:
Vitisq; frondens germine:
Sed prominentia saxa, sed quæ dirutis
Quercœta adhærent rupibus.
Non excitamur dulcis hic pulsu lyræ,
Non Tibiæ uoce querulæ.
Non hic Amantis Iuuenis, aut amabilis
Lusus puellæ ludimus.
Vel siqua faciles peruicax mortalium
Sensus uoluptas luserit.
At nec Tubarum personat strepentium
Canorus Aures spiritus.
Nec ille iam nos Martius cœpit calor,
Summiq; uirtus Carminis:

S ed lenis hic nos floridum modi genus
Illi secundum detinet :
N atura rerum quo parens dici queat :
Quas diues intra parturit
T ellus, nec edit, condito de uiscere
Humana ni uis eximat ·
H ac lege, et arte maximus Vatum canit,
Quas terra supra promouet :
Quibusq; pascit, ac alit animantia,
Ornatq; cuncta frugibus ·
H unc æmulamur, hunc sequi tantum iuuat,
Tu Diua da nos consequi ;

AD LIBRVM ·

EX SOLIS IAMBIS ·
CARMEN · XXXII ·

I belle mente sobria mihi sate :
Mihiq; habende pignoris loco pii :
Tibi perenne posteris Decus precor :
Ratum benigna quod camœna fecerit :
Legaris ergo quandiu magis queas :
Et æqua semper inde fama personet :
Adhucq; Vate : si licet : Superstite,
Virum per ora sæpe docta prodeas ·
Auere munus, aut uouere grandius
Nec ipse sanus, et pudens quidem uelim ;
Dari'ue maius hoc tibi potest nihil ;

FINIS ·

IOANNIS AVRELII AVGV
RELLI SERMONVM LI=
BER PRIMVS AD IA
COBVM CHABRI
ELVM PATRICI
VM VENE=
TVM.

SERMO PRIMVS.

Haec, quibus interdum dulcis affabar amicos,
Carmina sermonis sensus imitantia puri
Cui potius, postquam corpus coiere sub unum,
Quã Chabriele tibi memori pro munere donẽ?
Qui persæpe soles nostros exquirere lusus:
Tanquã aliquid leuibus possis educere nugis:
Quod leuet affectã ualido medicamine mentẽ:
Siquando acceptis uitiorum exuritur intus
Ignibus, auxiliumq; procul uirtutis aberrat.
Nec tamen ut monitis egeas, hoc perficis, ut te
Nobilium doctis uatum sermonibus ornes:
Sed quoniã cordi tibi sunt, quæ moribus apta.
Cui uirtus placet, huic uirtuti incũbere promptũ
Cui uitiũ, uitio nõ abstinet: et malus ultro est.
Probrorum causas simul et fomenta requirit.

Vt quod quis nouit, cupit exercere, nec ultra
Consuetum tendit: contra quod non agit, odit.
Assidue legis ipse, et habes quoq; semper in ore,
Quae grauis, et uatum quondã doctissimus inter
Ridentis socios prudens agitare solebat:
Vt circum latitans praecordia luderet, utq;
Detegeret siquid uitii foret: idq; referret
In melius quodam ciuili more, nec illo,
Quo pleriq; modo exagitant uitia, ut maledictis
Incessant nudis, atq; insectentur aperte.
Persius hũc morẽ, sed Aquinâs crebrius explet,
Vt commissa palàm referant, et nomina prodãt.
Ast ego cuncta leui risu condire laboro:
Dulcibus ut lateant quae suffunduntur amara:
Et subsit teneris uelut horrens spina rosetis.
Non tamen ut satyrã meditemur condere, nõ ut
Cuiusquam impuros studeamus carpere mores.
Verum ut, dum curas hominũ sic ludere tento,
Me saltem, si non alios, componere discam:
Et uitam imprimis insontem ducere curem,
Sollicitudinibus uacuam, plenamq; modestae
Laetitiae: qua mentis onus quodcunq; reponam.
Hinc est quod fidibus numeros aptauimus olim:
Et dulci teneras cantu compleuimus aures.
Nunc uero intégros perrarum carmen Iambos,
Quos iam temporibus priscis uix unus, et alter
Ediderat paucos (uerbo grauis inuidia absit)
Tentare haud uano conatu forsitan ausim.

Hosce Tryphō frater leget optimus, atq; probabit:
Vt quondam Lyricos non adspernatus habere,
Scrutariq; meos uoluit, conferreq; summis
Vatibus his, quorum uestigia semper adorans
Prosequor, aspicioq; procul, contentus ut infra
Subsideam, obtutuq; hærens oblecter in uno.
Ille per Aonii spaciabitur ardua collis
Culmina: Tu mecum secreta in ualle subibis
Antra uolens edera, et musco uestita uirenti.
Hic nemus, et liquidi norūt sua numina fontes:
Imaq; nec puduit faciles inuisere Musas;

AD BERTVTIVM LAMBERTVM PRIM. TARV. Homines non eum, quem deberent, finem quærere.

SERMO. II.

SAepe ego Bertuti compresso in pectore risu
Mortales miror uolui per inania curas:
Interdum, nequis uitio mihi uertere possit,
Haud ueritus, siqua ingenio permittere curem,
Illhuc immissis adeo delabor habenis,
Vix ut surgentes ualeam cohibere Cachinnos.
Nam quotiens animo scrutor, quo tēdere nostrū
Peneq; diuersum uideo spectantia signum (est,

Omnia

Omnia quæ nobis aptantur spicula cornu:
Apparet totiens manifeste, qui stupor intus
Humanas habeat mentis: quæ tramite recto
Propositum nequeuntq; sequi, nec cernere finē·
Principio inseuit nobis natura perennes
Igniculos, quibus accensi conquirere rerum
Semina possemus, nec non per lubrica firmos
Ferre pedes, ueriq; inuento insistere calle·
Hinc uarie expulsis artes fulsere tenebris:
Quæ regerent certum per iter mortalia corda·
Nanq; aliæ quantum possit promittere sola
Cognitio, tanto contentæ lumine præbent
Se nobis comites, seu per concreta perenni
Materiæ, motuq; obnoxia, siue per illud
Quod Mens ex iis seducat, fingitq; remotum:
Seu per sensilibus uere semota tenendum
Est iter, et pura cœlestes mente petendum·
Ast aliæ his etiam cognatæ quid sumus ipsi,
Et quod opus nobis propriū, et qui deniq; finis
Expediunt, ducuntq; pios, uerosq; per Actus
Humanum genus, ut semet uirtutibus inde,
Ingenuisq; domos curis, et moribus urbes
Expleat, ac iustis mortalia legibus æquet:
Vnde scatet plene liquidi fons purus honesti:
Ex quo quid nosse, et quantū decet, ac q̄bus uti
Conueniat, quæue elargiri, quidq; periclis,
Siue labori est præbendum, qua parte decori
Dāda opera, haurimus: nec nō ut candida nobis

Relligio, et cultus diuini Numinis insit:
Qua sine nil horũ esse potest, nec profore quicq̃.
Quæ cũ sic habeant, quẽ nam de millibus unũ
Inuenias, qui tanta, ac non contraria curet?
Quem non præcipitem cunctarum inscitia rerũ
Sic agit? ut nusquam titubet, nulloq; feratur
Errore? at contra quis non ad paruula quæq;
Hæret? et offendit minimis obstantia rimis?
Quis non alterius quæ sunt, iis certat abuti?
Seu fas, siue nefas. Ergo quis honesta benignus
Nunc opera inuẽtus? quis inerti è pectore tristẽ
Segnitiem pellit? quis non uel turpia quæq;
Et facere, et fari consueuit? deniq; cui non
Vana superstitio mentem suspendit inanem?
Quid? quod Auarities, et honorũ insana cupido
Mortales adeo miseros exercet, agitq;
Per scelera, et fraudes, per uim quoq;, perq; feri=
Et nocuos usus omnes, quo ducta furore (nos
Non sibi, non aliis ullo sub tempore parcit:
O diras hominum pestes, et uulnera uitæ.
Nec me Animus fallit, q̃ nõ hæc posse probari
In uulgus uideantur: ita tamen ipse teneto,
Nullam æque ingeniis sublimibus esse fugandã
Perniciem, quã quæ misera sub pectoris ampli
Ambitione latet, sensim nanq; illud edendo
Deiicit, atq; Animi cogit mox esse pusilli.
Nec minus his fugiẽdus amor sceleratus habẽdi:
Quo nil sordidius, nihil et quod ad ima ruẽtes

Nos



Nos adigat magis, ex altóq; exturbet honesto ·
Felices nimium Mortales, cernere si se
Interius possent, neq; enim per deuia quoquam
Errarent, sed iter rectum, certósq; regressus
Instituant illhuc, unde olim accedere terras
Posse datum est illis, et eodem posse reuerti
Rursus pro meritis: ubi mens conuersa superne
Principio rerum summo, proprióq; propinquās
Insinuet prorsus solam sine corpore soli ·
Felicíq; illhic uita, uacuáq; laborum,
Exemptáq; libidinibus, curísq; fruatur ·
Hic erat ille Animi risus spernentis aperte
Humana, et sese occulte tollentis in altam,
Quam quærit, sperátq; uiā: qua semper anhe
Inuenta, donec placidæ per munera pacis (let
Corporea exutus turbarum Labe quiescat ·
Hæc ego, non ut iter Bertuti notius extet
Id tibi, cum tu eadē per te sapis omnia, sed quo
Paruula signīficem uacuæ conamina mentis,
Vtq; mea si forte aliquid prodesse uirili
Iam ualeo, tentem currenti subdere calcar ·

LAVRENTIO LAVRETANO PATRICIO VENETO, VARIIS modis humanas curas minui ·

SERMO · III ·

L Aurenti quod nostra legis, doctáq; frequenter

Scripta manu uersas, interq; negocia nugis
His leuibus prono demittis pectore mentem:
Id facis, ut lautas epulas, et oluscula cœnæ
Commiscens uni, forsan fastidia tollas,
Quæ quandoq; gulæ certāt præstringere gustū.
Aut forsan quod et ampla putes pēdere minutis
Scilicet: et paruis, uelut aiunt, magna iuuari.
Vos etenim interdū proceres, cū publica cessant
Munera, migrantes aliò discedítis urbe,
Posthabito uel opum uel honorum pōdere ruri.
Hic aut culta suæ mandantur semina terræ,
Aut cereris lectas fruges, Bacchi'ue liquorem
Ferre domum mitē iuuat, aut per prata maniplis
Floridulis implere manus, et tempora sertis
Vincire, et Zephyri bene olentis ire sub auras.
Venarí ue palàm quauis ratione, modoq;,
Aut choreis passim ludentem inuisere pubem,
Agresti'ue etiam, si fas, incumbere Amori.
Nec minus et nymphis operā dare, ferreq; crebros
Inter Amadryadas, et Oreadas undiq; gressus.
Et musis adhibere animum, tum ualle sub ima
Collibus aut altis meditari, et ludere uersus.
Sed tamen interea rerum deponere curas
Non adeo promptū est, quas affert insita semper
Sensibus urbs imis, quin pars huic maxima mētis
Seruiat, et parui subito tum cætera pendat.
Verū hæc ipsa uicem uariantis cuncta medelæ
Esse loco reputet facile is, qui ludicra uatum,

Vt

Vt tu, forte legens gratum sibi uertat in usum.
Ingenui quanquã propria hæc industria moris.
Sic etiam dulci cantu consueuimus Aures,
Concentuq; fidis suaui complere canoræ.
Signaq; sic cælo affabre diducta peracri
Inspicere artificis digna cum laude solemus.
Penniculoq; litas docto spectare tabellas
Pergimus, atq; oculos miranda pascimus Arte.
Ac uariis ultro illecebris sic deniq; capti,
Nunc has delicias sani nunc poscimus illas.
Nimirum humanæ sunt hæc solatia uitæ,
Quæ dum continuo fluctu uexata laborum
Fertur, ad hũc fessam recipit se prouida portũ;

HORTATVR ANDREAM CA STRVM, VT INANES HOMINVM CV= RAS RIDEAT.

SERMO · IIII ·

Castre meos inter pars non temnenda sodales,
Quem mihi constanti deuinxit pectore sydus,
Sydus, quod nobis æqualem temperat horam:
Vnde tenax semper dependet, et una uoluntas:
Iam dudum cupio tecum ridere, quod Ambos

Nos iuuet, et nobis, si quicquam est utile, prosit.
Est ne quod exoptent homines magis, atq; beatã
Felicemq́; diu certatim ducere uitam?
Nil porro inuenies, quæras licet, et tamen isthuc
Viuere quod cupimus, nõ unquã uiuimus ipsum.
Nã bene cui tantũ est? ut si tecũ ipse parumper
Considerat, subito non sit tibi mille querelis
Aurem laturus, tanquam infelicior omni
Tunc agat, et nulla non conditione minor sit?
At si pauper erit, quanquam fortasse sua met
Culpa mendicat, fatis tamen imputat, et se
Syderibus planè natum mentitur iniquis.
Pars autem, siquid paulum, minimumq́; recedit
A recta cursus, qua se prius ire parassent:
Protinus exclamant secum infeliciter actum.
Est quem nulla diu delectent gaudia, nullæ
Blandiciæ, cuncta usq; adeo fastidit, et illud
Quod cupiit iã, mox renuit stomachosus, et odit.
Sic omnis queritur tantundẽ, ac dum dolet, omne
Amittit, propter quod sic tristatur, et ipsam,
Cui tam semper hiat, festinat perdere uitam.
Hinc ego disrumpor risu, quod uiuere semper
Quæramus, nunquam interea comitante dolore
Viuere contingat, nisi tu fortasse uocaris
Id uitam, tristis quod circumplectitur Angor.
Hic igitur risus meus arridere uicissim
Te cupit, atq; graues animo deponere curas,
Vt placido mecum studeas defungier Aeuo;

Quod superest tantum, permittens cætera diuis
Quo se cunq; dabunt, qbus hæc mortalia curæ;

AD VALERIVM SVPERCHIVM, PISAVRENSEM IN EOS, QVI SERMONVM VIMPARVM INSPECTANT ·

SERMO · V ·

s Vnt Valeri quibus hoc opus, ut te=
nue, illico cunctis
Spernendum doctis uideatur, et ipse
etiam, qui
Sermones humili affectem distinguere uersu
Diductos facili, puroq; ex ore, nec ullam
Splendoris speciem quærentes, donec aperte
Extra depromat Animus, quod concipit intra.
Quis ego sic quanuis assentiar: ut mihi nullam
Hinc laudẽ studeã conquirere, non tamen ab re
Nunc fuerit, breuibus uerbis fortasse referre,
Quod dño quondã prudens cocus, ille saporum
Per modulos omnis concinnam reddere Cœnam
Curarat, licet huic nulla haud nostratia inessent.
Hic uero, tanquam fatua insint omnia, quæq;
Forte adspernabatur. Cui cocus, aut here nõ est
Nunc Stomachus bñ habens tibi, uel nõ hæc sapi
Externo monstri nullo condita sapore, (unt, q̃

Grata ualentibus esse solent, et prosore sanis.
Sunt igitur qui nõ aliud sibi prorsus adoptant:
Quã numerũ ac strepitũ uerborũ magna sonãtũ
Atq; parũ intro aspectant, nec qs sensus in illis
Claudatur, qualés ue trahat, qbus hæreat apte,
Attendunt, ut non aliena in corpore membra
Consistant, uerum simplex uideatur, et unum
Quod loqueris, nec non pure, nitidéq; relatum.
Atq; ideo repens per humũ Sermo, et bñ cultus,
Cui grauis, atq; ferax morum sententia subsit,
Sordibus expleta tantis non aure probatur.
At docti, quales et frater grandior, et tu,
Atq; alii, quos nũc numero comprendere nõ ẽ,
Hunc admirantur quotiens expendere secum
Secreti tanquam diuina poëmata possunt.
Et nos, siquid Amor Musarum Proficit, illhuc
Parui nonnunquam descendimus, altáq; supra
Spectantes, ima tenues in ualle uagamur.
Quanq̃, o si dudũ quod iam mens augurat, unq̃
Aduenient sperata meis alta ocia uotis:
Forsitan et sacri tentabimus ardua collis
Culmina secretum per iter, qua pergere paulo
Ante ausi, tantum progressi uenimus; illhic
Hos ut dictarim sub amici nomine uersus:
Regia magnanimum proles inuicta parentum
Qui tibi nũc surgunt Iuuenili in pectore sensus.
Quod´ue aio exagitas opus, et q̃ facta, perenni
Tempore quæ uigeant, tecum meditaris, et alto

Inquiris studio, nulli cessure priorum.
Et reliqua his forsan non dissona, quae puto, nostri:
Et quae nunc monitu Franchi de uertice tanto
Rettulimus tumidi, nec enim Sermonis erat res
Exigui, nec humi serpentis uallibus imis.
Cũ primo affatur genitum de sanguine Regum
Hesperiae: Sacro quem quondã è fonte leuarat:
Illhic Romanae dum magna negocia sedis
Tractaret: nuncq; illi gratetur, quod abunde
Fulserit in nitidis praepes uictoria pennis;

AD · L · PORT · VICENTINVM,
RISVS VARIARVM
circa rem litterariam prae
sertim opinionum.

SERMO · VI ·

h Osce Iocos quoniam de me tibi saepe
requiris,
Nunc adeo uacuae mentis cum simus
uterque
Experiar Porti si te contingere possit,
Qui quocunq; feror, mihi se fert undiq; Risus.
Quisq; suam primum tanti facit, et putat Artem,
Vt nihil alterius. Seu quod sic callida nobis
Natura ingenuit: proprios ut quaeq; facultas
Fautores habeat, et se tueatur in illis.

Seu quod præcipue laudi damus illa, quibus nos
Indulgere iuuat, uel quæ nos posse putamus.
Vnde aliis aliud studium, uariisq; tenetur,
Afficiturq; Animus, propriisq; incũbit in actis.
Atq; suo insistens operi, quo fungitur, auctor
Sedulus, interdum sic se miratur, ut infra
Se positum quodcunq; putet, ducatq; minoris.
Quin et amicorum rebus capiuntur amici.
Nonnunq̃ nimis, et quæ iam fortasse reprendant
In reliquis, illhic tamen admittuntq;, probantq;,
Atq; aliis alios, ut res, præponere certant.
Est etiam ingenitum multis, ut tempora prisca
Anteferant nostris semper, laudentq; quod absit
Longius, et dudum memori se subtrahit æuo.
Tanquam nulla illis ueniant laudanda priusq̃
Innumera Annorum Series processerit ante.
Haud eqdẽ inficior, quod sit ueneranda uetustas
Semper, et huic partes laudis deberier omnes.
Sed miror quonã illa modo sibi cuncta pararit,
Vt reliqui nobis nil fecerit: atq; uolentes
Hac nos segnitie misera sic sparserit, ut dum
Magnorum similes fore desperamus Auorum,
Nil etiam penitus nobis ducamus agendum.
Sed tamen hæc illi. At contra sunt et quoq; q se
Temporibus priscis æquent, abstrusa secuti
Nescio quæ, quæ iam siqua obuia forte fuissent,
Intonsi horruerint ueteres accedere Tesqua.
Atq; ita per salebras omnes, et iniqua locorum

Huc illhuc lati offendunt, ut iam rear illis
Callosis cunctos pedibus subuertier ungues ·
Quid? quibus haud artes possunt satis esse priorū ·
Aut qui de rebus cunctis permulta loquuntur ·
Qui ue student aliis docti apparere tacendo ·
Et qui uelle assuere, et fastidire uicissim
Omnia, nec gustu deduci prorsus ab uno ·
His igitur cum tu occurris sæpissime Monstris,
Nam raro haud credo, risus inhibere potes? ne
Exiluisse tibi toto de pectore certent?
Atqui ego ad hos pridem facilē te, me, Hercule
Ex quo iecasti Salsos in Castora Lusus, (noui:
Castora, qui demens dum respondere parasset,
In se plura quidem, quam tu, contraria dixit ·
Ipse etenim ut de me fatear, quod forsan habebit
Offensos quosdam, non possum ferre, nec intra
Cur teneam, ac saltem labiis inspergere summis
Non ualeam, uideo: facilis quod me quoq; risus
Nec tamen effusi finxit Natura Cachinni;

AD IVLIVM, SERVI PERRARI PROSOPOPEIA ·

SERMO · VII ·

I uacat interdum per tanta negocia Iuli
Quæ geris, exigui non nil audire parumper,

Hoc tenui Sermone uelim tibi pauca referre.
Vtpote qui cupiam rationem reddere uitæ
Exactæ domino seruus bonus, atq; futuræ
Quod superest quonam studeã traducere pacto.
Hic igitur placidã, quæso, mihi commodet Aurẽ,
Quæ nunc, quæ semper tibi erit clementia cordi.
Ex quo me puerum Pater huc accedere iussit
Prudens, ut tenerum primis formaret ab annis:
Ex illo tantum teneor uirtutis Amore:
Atq; adeo illius presso uestigia passu
Insequor, officio nulla ut per tempora desim,
Quin illi insistam semper, ne transfuga partes
Inferar aduersas, neu certa relinquere signa
Imperer, à recta paulum inclinare coactus.
Hinc mihi perpetuus circum præcordia feruor,
Exiguæ quamuis maneant, intendere uires
Semper auet, quibus ipse queã per condita rerũ
Inuolucra expediens, atq; extricatus abire.
Dulcibus hinc etiam Musis incumbere certa
Lege iuuat, seu cum grauibus dissoluere curis
Pectus iners studeo, seu cum perfundere mentem
Est opus illecebris, et honesto inspergere ludo.
Nec minus interea gratum est, si quantulacunq;
Sedulitas nostra est, omni tibi tempore seruit.
Si quoq; et huic glebæ iam nunc inducere semen
Instituo, unde mihi spes est non uana tuarum
Mox rerum similem cumulo desumere frugem.
Hic mihi continuus uitæ tenor, hũc mihi semper

Ipse Deus, quo me uoluit consistere, seruet.
Nec mihi sit potior uia, quam quæ tramite recto
In tua, si quicquam declinem, iussa reducit.
Ne quod forte leui Formicæ contigit olim
Arguar exemplo illius uitare nequisse.
Hæc igitur mores hominum mirata, quod uno
Sæpe loco nequeant contenti degere, uerum
Nunc has, nunc illas mutare, et quærere sedes,
Constituit secum peregre semel ire per orbem.
Et iam nescio quot spacii prorepserat ulnas:
Cum caput ecce nitens detracta pelle Caballi
Offendit, spectatq; admirans: mœnia magnæ
Vrbis ceu uideat: circuq; hinc fertur, et illhinc:
Atq; aditum quærens tandē multa ingreditur ui.
Nec momenta trahit breuis æui cuncta pererrans
Indefessa, petit donec perplexa latébras,
In quibus esse solet sedes non æqua cérébri.
Tum uero læta inquit, et est hæc regia summi
Principis, et nullis habitatur gentibus, ergo
Nostra erit, atq; animum mox concipit, et sibi iā
Diues, et inuenti regni Regina uidetur. (tum
Verum ubi nox illam admonuit potusq;, cibiq;,
Sperateq; simul sensit uacua omnia frugis,
Mane cauum repetens, Regalia munera ridet,
Et se, tam fatue sibi quod tum credidit, odit.
Hæc adeo permulta ualent ad commoda uitæ,
Paruula sint quis: neq; enim nō ulla putandū
Auxilia interdum è tenui contingere posse.

Extentos in casses Brutorum inciderat Rex:
Non multis nunc te, breuis est Fabella, morabor:
Hunc forte intorto exiguus Mus fune reuinctum
Quadrupedẽ, et toto porrectũ inuenit in Antro,
Cuius opẽ implorat supplex Leo, at ille capessit
Iussa lubens Dñi, prope adest, et uincula rodit.
Hic abit, et grates poterit siquando, referre
Pollicitus, parua ui magna pericula uitat.
Illhuc nunc redeo, primus defluxerat unde
Iam Sermo. Haud ullis opibus peruincere quisq̃
Posset, uti longo durati tempore moris
Tantillum imminuã, Primũ ut nõ prosequar oĩ
Cura, opera, officio teq́; et tua iussa, Sereno
Aspicias uultu modo me. Deinde optima siqua
Apparent, non usq; uelim pedibus, manibusq́;
Vt uetus est, et adire, et complecti, ut mihi uires
Spirarit modicas natura, atq; auxerit usus;

HIERONYMO BONONIO POETAE TARVISINO.

SERMO. VIII.

Visq; suum sequimur sydus fatale Bononi
Quo trahit, et nobis illud sic imperat, ut uix
Effugiat quisquam Mandata subire, licebit

Sit

Sit nulli penitus hominum parere necesse ·
Hæc tibi doctorum sententia prisca uirorum
Hæreat, hac nulla est potior, nec sanctior ulla ·
Sic dum forte graui et constanti ducimur Astro,
In duram morbi speciem deuenimus ipsi ·
Ille etenim Maia genitus, qui præstat ad usq;
Doctrinas aditum quærentibus et studiosis,
Haud satis ipse habilis, faueant cui cætera cœli
Sydera, destituit, quondam quos fouerat, omnes ·
Hinc ego, qui Musis, ut paruæ in carmina uires
Incumbo, et conor uulgi me demere turba,
Syderis haud ualui sortem uitare malignam ·
Nec nobis, ut ais, studiorum grata meorum
Sedulitas nocuit, potuisset nam quid obesse
Quod facias certe moderanter, quodq; libenter?
Nec mirere, grauis si nos premit impetus Astri,
Nanq; uides mutata quidē nunc tempora rerū,
Atq; eadem longe diuersa prioribus: unde
Tam cito? ni commota feri uiolentia Martis
Sæuiat, atq; atrox Saturni stella moretur:
Quo Iouis, et Veneris fauor adsit, Mercuriusq;
Hæreat ipse malis, celeres et Luna meatus
Approperet Sæuā in Rabiē, sed et ipsa recondat
Lumina Phœbus item, Phœbus, q lumina præbet ·
Non'ne uides, ut nunc omnes in Bellica raptis
Festinent Animis, modo qui sic munera pacis
Gaudebant tanta placidi tractare quiete ·
Scilicet ille ferox uertit qui Martius Ardor

Omnia, nunc cunctis cœlestibus imperat, alta
Parte poli Dns residens, et cuncta ministrans.
Nec tamen hæc tantum nobis cœlestia credas
Ostentare, sed his multo grauiora minari,
Exilium, Tormenta, Fames, Incendia, Pestes.
Diluuia, exhaustus'q; maris, terræ'q; tremores.
Fulmina, Terrores, Tonitrus, Fulgetra, cometas.
Bella sed imprimis portendunt horrida Bella,
Quæ fore iã posset qsquis præscire, quod atrã
Principibus mentem uideat Bellare paratis.
Ad quos pro se quisq; preces intendere supplex
Debeat, ut tantis desistant, et mihi iam nunc
Carmine sublimis libet exclamare poetæ:
Ne proceres, ne tanta Animis assuescite Bella.

IOCVS.

SERMO. IX.

O Qui me tanti uoluere in luminis Auras
Prodire, et tenebris exemptos noctis opacæ
Vitare obstantis scopulos, et ducere tandem
Fluctiuagam ĩ tutum maria alta per oĩa Cymbã.
Deinde per Apricos late loca proxima Campos
Ire, quibus uerni spirant uiridantibus æqua
Temperie Zephyri, quibus et cum floribus herbæ

Non

Non æstu, non ui concreta frigoris arent.
Et nocuæ absistunt uolucres, nec lubricus ullis
Innatat Anguis aquis, nec humi mala uipera ser=
Nulla nec absistit fera, quæ uiolenter aduncis (pit.
Vnguibus ingluuiem, rabidis aut dẽtibus explet.
Plurima sed querulis Auium concentibus Arbos
Directa in numerũ resonat, nemoriq; Canora
Vmbrifero, et uitreis respondet fontibus Echó.
Hinc calathos replet fruticis Pomona beati
Fœtibus, inq; sinus florum Dea ueste reducta
Texit odoratis residens uiolaria Sertis,
Quas inter fœcunda Ceres spaciatur, et illi
Ruralis pleno colludit Copia cornu.
Tum lento Charites uideas incedere passu
Permixtas Nymphis uarie ludentibus ampla
Planicie, at Satyros illis intendere passim
Insidias, contra Satyris illudere Nymphas.
Interea uolitans circumq; supráq; Cupido
Intendit solidum cornu, exhauritq; pharétram.
Lusibus Alma parens illi comitata, Iocisq;
Respondet paribus Curis seq; inserit ultro.
Exercet uiridi Choreas in gramine Bacchus,
Ambrosio intonsos perfusus odore Capillos.
Pampinea insertis ornatus fronde Corymbis.
Exultatq; hilaris Genius, gestuq; soluto
Inuitat resides Animos. Tum pocula fessis
Lemnius exporgens large Deus ipse ministrat.
Et facie informi risus, et dispare gressu

Commouet, haud renuens ludenti parcere tur= (bæ.
At multo imprimis senior prolutus Iaccho
Silenus, somnoq; oculos subeunte grauatus,
Forte ut erat pando recubans, summotus Asello
Labitur. Hunc Fauniq; et monticolæ Satyrisci
Circunstant fremitu ingenti, pars tollere prona
Instat humo fusum uiridi, pars tempora circum
Exanima infundunt refouentis corpora Rores.
Accurrunt ueste undanti passisq; capillis
Naides in risum effusæ Dryadesq; puellæ.
Hi super impositum dorso capitiq; sub Antrũ
Sublimem fessi referunt, ubi diua uoluptas
Præsidet umbroso sub amœni culmine collis;

AD LAVRENTIVM ABSTEMIVM, CVI SERMONES SVOS COMMENDAT, QVOS eius hortatu ediderit;

SERMO. X.

S I quid Laurenti est, quod quos haud uidimus unquam
Cogat amare, hoc est imprimis splen= dida uirtus.
Est deinde absentes, si nos sentimus amari.
Verũ ut te obseruem, uirtus, an Amor faciat, quo
Me sic absentem dudum complecteris absens,

In dubium merito quiſquam reuocauerit, ut qui
Vtrorunq; pari perpendat pondera lance.
Nõ tibi poſtremus datus eſt locus inter honeſtos,
Et noſtri doctos æui, ſed proximus æquas:
Qui fruſtra ſtudiis alios præcurrere certant.
Hoc habet ut iuſto te proſequar æquus honore.
Sed quod nos et noſtra tuo dignaris Amore,
Mutuus hunc contra affectus debere fatetur
Se meus, atq; pari gratæ par gratia menti.
Nam quod Epiſtolio ſuaui me hortaris, ut edã
Carmina, quis olim dulcis affabar Amicos,
Hoc Amor, haud res ipſa, facit: qui plurima cæ
Nec ſentit ſparſos ĩ amato corpore næuos. (lat,
Nã quid habere poteſt ſimplex in carmine riſus?
Quod lector prudens ſimul et doctiſſimus optet.
Luſi equidem, fateor, Muſasq; ſub hæc quoq; uidi
Nobilis ima iugi lento procedere paſſu:
Vidi ipſe audens, nec facile ipſa hæc tenuia luſi.
In tenui quanquam labor unà, et gloria certet.
Quæ quoniam cupide ſic expectare uideris,
Permittam: uelut è nido quandoq; relicta
Matre, leues pulli exiliunt, temereq; feruntur:
Noſtra tuo ut monitu genitorem pignora linquãt.
Tu commiſſa tuæ fidei quocunq; uagari
Ne ſinito: inq; plagas ne tendant illa, caueto.
His etenim, ut mos eſt hominum, tenduntur ubiq;
Retia: uitali fruitur donec pater Aura
Præſertim, nam quod uiuat pater officit illis.

Sunt tamen egregii moris, qui pondera rerum
Expēdunt, nec, nūc ne superſit, ſit'ue qs auctor,
Tunc animo aduertunt, filo cum ducier uno
Cuncta uident, uno pendere, et pergere ductu:
Iudicio quibus acri et recto prædita mens eſt.
Hos opus, haud auctor mouet, aut milleſimus an
Sed ueluti ſiquis tabulæ pictoris inhæret (nus.
Obtutu primo ignoti, quia picta placent, mox
Nomen laudandi artificis, patriamq́; requirit:
Vt magni faciat, cuius ſpectauerit et rem:
Sic et prudentes doctiq; aliena tuentur,
Vt ſua: collaudātq́;, fauentq́;, quibusq́;, nec ante
Inquirunt cuius, quā lecta frequenter honeſtent
Laude palàm merita, ſi laude hæc digna putētur:
Auctoriq; diu uitam, quo plurima ludat,
Exoptant, illiq; ſimul gratantur et Aeuo:
Sub quo contigerit naſcenti adolere poetæ.
Quales ipſe quidem, ſi fas, ueneratus adoro
In terris, qui ſacra ferunt nitidiſſima diuis
Aoniis inter Nymphas, et numina ſummi
Verticis, unde latex per gramina dulcis Hymeti
Diffluit, et fuluo flaueſcit purior Auro;

IOAN

IOANNIS AVRELII AVGVREL LI SERMONVM LIBER SE= CVNDVS AD · N · FRAN CHVM PONTIFI= CEM TARVI= SINVM ·

SERMO · I ·

FLorentis quondam memores, dulcis'q; iuuentæ
Lusimus, et teneris non nil permisimus Annis,
Siue elegis, seu mox Lyricis, numeris'q;, modis'q;
Disparibus uotum mentis mihi musa reclusit ·
Et poterã, et certe nunc tandẽ Franche quiessem,
Ni tua me cum sæpe aliâs, tum commoda nuper
Gratia summosset residem, uel nempe uacantem
Diuersis multo studiis, dum reddere grates
Ipse tibi quantum ualeam contendere conor ·
Ac neq; grata magis mihi, nec iocundior ulla
Res fuerit, quam si uidear te digna locutus,
Et grauibus tantas pertingere uocibus aures ·
Sed quis erit modus? aut ubi nã consistere primũ
Mens queat? an quo iam soliti decurrere campo,
Pertrito'q; pedem et uulgato calle feremus?
An ne illud potius quod amat maturior ætas,

Et tua præ se fert toto reuerentia uultu,
Illud erit nobis iter? ut per deuia longe
Multum errans, seseq; inter uariabile uulgus
Linquentes, nos et recta, et uix cognita paucis
Semita perducat, qua se iis Angustior offert.
Pierides uos hunc, neq; enim nescitis ut altum
Tendit iter, breuibus spaciis ostendite callem:
Et date scandenti facilem per iniqua laborem.
Difficilis quondam fuerat, nec acumine paruo
Quæstio prudentis inter uariata priores:
Ecquis erat rerum propria sub imagine finis
Quærendus nobis, an num foret usq; uagandũ:
Inuentæ huic grauior succedens altera suasit
Quenq; sibi, ut sua dictaret, ferretq; libido,
Et facere et seruare modum finemq; bonorum.
Nanq; ut constiterat semel hũc unũ esse, neq; ultra
Tendendum, at contra simul huc humana referri
Omnia, tum uarie quæsitum quid foret illud:
Quo se dirigerent homines, et cuncta referrẽt.
Hinc aliis aliud uisum diuersa secutis:
Vt uirtus, ut honos, ut opes, ut serua uoluptas.
Hæc ego dum grauiter mecum pro parte uirili
Exagito, intereaq; hominum prænosse necesse est
Officia, occurris tum tu mihi quantus in illis
Visus es, atq; etiã appares, cum publica tractas
Et priuata pari uirtute negocia, cumq;
In magnis paruisq; unus uidearis et idem.
Atq; hæc cum ueluti diuina mente profecta

Eueniant

Eueniant, quodcunq; tibi semel ore uel alto
Pectore consilium exciderit, tum protinus illud
Quis opus est, cœpere boni, sanctumq; tuetur.
Hinc adeo, quod sæpe tibi quã plurima summi
Iniunxere patres, quæ mox effecta dedisti
Omnia, diuersi non unis partibus orbis.
Externos etiam hinc reges cum missus adires:
Multaq; cũ faceres his grata et magna referres,
Perficis, ut miro te complectantur Amore,
Quẽ durasse uelit, et ad hæc quoq; tẽpora seruẽt.
Hic quoq; quod magno sacrorũ munere functus
Ad uenetos proceres, nulli quod contigit ante,
Septenos illhic totos impleueris annos.
Quin tuus hic populus, moliri publica postquã
Desisti, et propius iam pastor ouilia seruas,
Non speculatorem custodem'ue inuidet ulli:
Et te, si fas in terris, ut numen adorat.
Ipse etiam, nam parua solent adsistere magnis,
Ponè sequens, atq; hæc trãquilla mẽte uolutans
Quod possum, ad Musas aditus et carmina tẽto:
Vt tua me, dũ fata sinunt, benefacta canentem
Audiat et præsens, nec postera nesciat Aetas.
Haud secus egregii uates habuere Benignis
Principibus meritas grates, et digna tulerunt
Præmia, nec poterãt iis quicquã reddere maius,
Quã laudẽ, Aeternumq; manẽs ĩ secula nomẽ;

AD IOANNEM ANTONIVM SCHOLAMFRANCHI PONtificis Nepotem exhortatio ad uirtutem.

SERMO. II.

e Vr Schola radicem perhibent Virtutis amaram
Esse, sed illius mira dulcedine plenos
Latius effusa pendêre ex arbore fructus?
An cum sola queat facere et seruare Beatos,
Hæc eadem uoluit præ se quoq; ferre labores?
An uero i culpa est animus? qui mollis et æger
Expertem morbi causatur, et improbus ipsam
Virtutem uitio cogente libidine miscet.
Nanq; capescenda nihil in uirtute laboris
Vsquam erit, ardenti tibi si generosa uoluntas
Affuerit, quæ dura ualet mollescere, nedum
Suauia complecti studioso pectore possit.
Principiis si forte tibi grauis illa uidetur,
Haud ita credideris uere, sed sensibus intus
Corruptis aliam tunc apparere, nec illa
Indutam specie, qua debuit esse, uideri.
Ac ueluti affectis quanquam sint dulcia gustu
Apposita, ingratus sensum deludit Amaror:
Sic quibus ulcus inest animo, quod dira cupido

Fecerit, ii nequeunt oppressæ mentis acumen
Exerere, ut norint quantum disiuncta labore
Aeternum socia coëat uirtute uoluptas.
Tu genus hoc hominũ, mala ne cõtagia serpãt,
Euitato prius, quam duci robore firmo
Incipias, et adhuc teneræ sunt pectore uires:
Nanq; exempla tibi ne sint aliunde petita,
Ipse domi quæ imiteris habes, seu ducere uitã
Doctrinæ iuuat in studiis, seu rebus agendis
Exercere uelis, famamq; extendere factis:
Hinc Auus, hic præsto sit auũculus, et tibi calcar
Currenti adiiciant, ille ut suspendat in altum
Egregie mentem nostri, siquando per ignes
Accensam æthereos cœlesti lumine replet.
Hic uero ut latis humeris Ingentia rerum
Pondera sustineat, quotiens est iussus obire
Munera, quæ nulli melius mandauerit unquã
Pontificis summi Maiestas, nec quibus alter
Assuetus plura diuerso gesserit orbe.
Hi tibi Ductores igitur sub lumine tanto
Præcipuum Callem ostentent, quo pergere tutus
Arboris ad summum, atq; acri radice relicta,
Virtutis ualeas dulcis contingere fructus;

AD·N·FRANCHVM, VT POST MVLTOS LABORES quieti tandem se dedat, Hortatio.

SERMO. III.

e St operæpretium cum primum è littore funem
Soluerit, et sese dederit Moderator in altum,
Vt minimo quocunq; etiam in discrimine, curæ
Omnia sint illi, saluum si seq;, suosq;
Esse uelit, ualida cum tempestate feretur.
Sic cui contigerint rerum moderamina, nullo
Nanq; minore quidē in fluctu iactabitur, omnē
Vim teneat, simul et rationē Frāche necesse est:
Qua consurgentis ualeat superare procellas.
Hinc solitos Reges nosti conquirere toto
Ex numero egregios uirtute, et moribus aptos,
Qui sibi consilus præsto prudentibus adsint.
Quid maris ī tanto grandi sub pōdere pressam
Nauiculam summi patris exercere putandū? et
Quam uario curarum illum sub fasce teneri?
Cum tu, quem Cymbæ tua te prudentia fecit,
Huius ut interdum posses tractare rudentes,
Et uastum extento pelagus decurrere linteo,
Tot nunc substineas et tanta negocia, quorum

Maius onus super inducis, quam ferre tuis est
Par humeris, qui multa diu tam magna tulerũt ·
Nec subit interea quã uanum è marmore littus
Spectare, ut tuto ualeas te condere portu,
Ni semel incipias illhuc torquere carinam ·
Quod si forte roges ubinam locus ille quietis :
Montibus his possim tibi respondere tuismet
Innixus uerbis, et re quoq;, nanq; salubri
Temperie cœli præstant : ut qui pote nunc te
Tam cito reddiderint sanum rectéq; ualentem ·
Suppetit hic etiam cunctarum copia rerum ·
Est et Amœnus ager secessibus undiq; septus :
Mens ubi turbarum cumulum deponere possit ·
Nõ tamen hic quanuis tot rerũ est præditus usu:
Excutiet solitas ægro de pectore curas :
Est animus nisi cõpositus : qui se quoq; dignum
Ipse loco faciat : qui clauum dirigat, et qui
Hæc subeat sospes plenis semel hostia uelis ;

TRYPHONI CHABRIELO PATRICIO VENETO . QVI CVM EA ridet, quæ uulgus admiratur ·

SERMO · IIII ·

HIc tuus huc aditus fuerat mihi Carior auro
Care Tryphon, abitus uerũ est insuauis, et ipsa

Non Aloë nec felle minus inamabilis, ut qui
A nobis tacitus discesseris atq; repente.
Nec triduum totum, ut soliti conuiximus unà,
Forte domi utriq; pluuiis niuibusq́; retenti.
Sed quoniam sic ipse tulit casus, tibi nunc quæ
Cœpimus, expediam sermone hoc, non sine risu,
Qui sapit interdum rebus cum spargitur apte.
Si quæ magna uocant, et quæ clamoribus explēt
Grandibus, inspectes, paulo differre uidebis
A minimis, et ab iis, quæ iam puerilibus annis
Egerunt curis leuioribus atq; iocosis:
Omnia cum facerent commoti sensibus æque,
Vt Dominis, et nunc etiam impellentibus iisdē
Hæc maiora gerant, sed solis non tamen iisdē:
Quippe quibus male mens accessit praua sororū
Agmē agens trepidū secū fraudū, ambitionumq́;
Inter auaritiæ sordes, et tædia luxus.
Ac ne te multum morer, aut te longius ire
Permittam, scis ipse quidem, quod ubiq; patescit,
Interdum quam uana fides mortalibus obstet
Optata ne pace diu fortasse fruantur.
Nunc ictum est, coëuntq́; simul, nūc gaudia toto
Magna foro, ride. Nunc uicimus, omnia, ride,
Prospera erunt, sed enim nō longū tempus, et ipsi
Nunc socii, mox aduersis stant partibus, eia
In fraudes iterumq́; iterumq́; in falsa recurrent
Fœdera momentis breuibus, ridere nec optes?
Ludentis pueros modo si differre solutis

Lusibus, unanimes modo consentire uiderem,
Quæ leuiora darēt mihi tum spectacula? uel qs
Maior abundaret labiis de pectore risus?
Iidem etiam miranda putant, et maxima rerū
Prælia, tumq; duces primores esse uirorum.
Ast ego sic reputans opera esse immania bella
Improbo, ni proceres melioris gratia pacis
Mouerit, armaritq; bonos defensio iusti.
Pacis amant nā sacra boni, quibus ipsa benigne
Natura ingenuit mitem sub pectore sensum.
Hos aut ipsa parens rebus præfecit agendis
Iustos, prudentis, et fortes, atq; modestos:
Quorum plena bonis uita est, et plena laborum.
Aut statuit similes cœlestibus, et sapientes
Edocuit rerum causas, et præbuit illis
Aurea felicem duxisse per ocia uitam;

ALOVISIO ALEOTO · C · TAR · QVEM VT RVS SE CONFERAT, HORTATVR ·

SERMO · V ·

Er redit: et mare nos adiens trans=
u mittit hirundo:
Tu tamen Vrbis adhuc Aleote nego=
cia curas:
Nec uenit in mentem Pansaci gratia collis:

Vt se uere nouo passim pulcherrima profert:
Quo te multiplici gestit conscendere cultu.
Vrbe tibi: atq; tuis: et amicis plurima tractas:
Posthabeas tua amicorum uelut omnia rebus:
Grãde qdẽ munus: quod te uulgo excipit unũ:
Et te: dum terris agitas: cœlestibus addit.
Rure alis et refoues ualido cum corpore mentẽ:
Apta quies, facilisq; labos cum temperet illis.
Cuncta hic læta die: sunt grata hic oĩa nocte:
Cum defessa leui requierint membra labore.
Parua cauo: dum sæuit hyems: formica sub arcto
Consumit: quam tota æstate parauerat: escam.
Mox eadem è latebris: terras cum Sirius urit:
Exilit: et densum sub diuo mobilis agmen
Explicat: atq; suum properat sibi quæq; laborẽ
Sedula, persistensq; operi. Sic forte sub iisdem
Temporibus nobis ruri, uel in urbe morãdum:
Sunt hominum diuisa etenim sua tẽpora uitæ:
Si non hæc eadem prauus præuerteret usus;

ADRISVM ITERVM CASTRVM, QVI CVM ALTERO SERMO ne humanas curas riserat, inuitat.

SERMO. VI.

C Astre iterum tecum, Nam tu nec te= mnere nostros

Iam

Iam pridem, et tales consueſti quærere riſus,
Tecum aueo rurſus non nil ridere, quod ultro
Seſe offert dignum noſtro propriumq́; cachinno:
Hic igitur, Siquando tibi mens ipſa iocoſis
Apta fuit rebus, Siquando admittier intra
Ridiculos uoluiſti, alios dum tangere riſu
Poſſes, hic facilem da te mihi ſic, ut et ipſe
Dum rides, turba uenias deriſus ab omni.
Quæ bona ſunt, quæ non, uulgus neſcire fatetur
Interdum, quotiens illi non ulla libido,
Quod raro eſt, menti tenebras offuderit altas.
Interdum uero ſemet miratur in illis
Noſcendis, nec ſe melius diſcrimina habere
Horum aliquem credit, quorũ præcepta ſub alta
Pulpita denſum humeris, et hianti percipit ore.
Quale uidebamus nuper: dũ ſancta frequentãt
Munera, quis altum ſtruerent pietatis aceruũ:
Mane frequẽs, mixtumq́; uiris, teneriſq́; puellis,
Et ſenibus, pueriſq́;: quibus fuit anxia cura
Ante locum capere, mediis quẽ ſorte ſub umbris
Optaſſent, uel iam prima ſub nocte paraſſent:
Vt prope ſtipati, arrectiq́; propinquius aurem
Hinc percepta domũ ſenis almi dicta referrent.
Hunc ergo et ſimiles populus cũ audiuerit apte,
Facturúm ne putas aliquid? quod iuſſerit horũ
Vnus, ſit quanuis uere ſapientior illo,
Qui quondã è terris ſublimis ad æthéra raptus
Proximius ſuperos, et cœlum uidit apertum:

Haud quaquã id credas, nam cũ discessit, ibidẽ
Præcepta, et leges iussas, moresq; relinquit
Protinus, et retro sua per uestigia fertur.
Aut etenim uanos iterum perquirit honores:
Aut ipsũ aggreditur rursus male sana uoluptas:
Aut si sordidior paulo est, quod sæpius illi
Contingit: duræ per mille pericula mortis
Currit ad ĩmodicos quæstus, paruumq; lucellũ.
Singula ne memorẽ: tot ducitur improbus inde,
Perdita, quot miseris turbantur pectora curis.
Nimirum prorsus aliud sentitq;, probatq;
Esse bonum: quam quod totiẽs audiuerit, et quod
Extollunt meritis in cœlum laudibus omnes,
Dogmata qui ueris sanctissima uocibus ornant.
Ducit enim imprimis uenerãdum, quod sua cuiq;
Suadet inops Animo molli, dictatq; cupido.
Nec magis exoptat aliud, quã quo caret, et quo
Indiget, id finem solum putat esse bonorum.
Hinc aliquos uideas, quis non hæc riserit? ire
Præcipites tanquam catulis mordacibus actos.
Inde alios contra tardæ testudinis ægro
More, modoq; gradu metitos omnia certo
Pergere, et emensos numero cõprendere gressus.
Hos inter, medios quosdam: quos sic modo lẽtos
Nunc sic præproperos momento temporis uno
Inuenias, sic se diuersos prorsus agentes,
Penè ut dissimiles, nec eosdem dixeris esse.
Nec sese in pluris species præbere uidendum

Id

Id reputes animal, ſolitum quod quenq; referre,
Quem ſubter dederit dorſo, attigerit ue colorẽ:
Quam uarie cupiunt illi, quæ non cupienda.
Quid? quos exagitat triſtis metus, et ſibi ſemper
Conſcia mens, quanto ſpargi pallore uidentur?
Vt non illa quidem tantum liuere putarim,
Quæ ſimulacra modis referunt pallentia miris
Nocte intempeſta fieri mortalibus ægris
Obuia, quos lemures, et laruas dicere, et horcos
Humano placuit uano, miſeroq; timori.
Non ne tibi effuſi penitus de pectore riſus
Proueniunt? cum ſæpe leues obrepere cauſas
Mox animo cernas quorundam, qui ſibi regum
De nihilo uel opes, regna et ſublimia fingunt.
Atq; ideo elati ſupra quam dicere promptum,
Incedunt: fatuæq; ſolent geſtire per omnes
Lætitiæ numeros, ut inani concita flatu
Concepto interius fertur pila: quæ iuuenili
Impulſu plateas, et compita ſaltibus implet.
Quo me, quo rapitis triſtes? quos uſq; dolori
Hærentes, ſemper uilis querimonia turpat.
Quantos ſæpe mihi riſus mouiſſe putatis
Poſt fractas uoces, turpiſq; ex ore querelas,
Hos etiam ueſtros nigra caligine uultus
Inſperſos? minima de re fortaſſis: ea uel,
Maxima quæ uobis ueniat licet, attamen illi
In promptu non eſt ſuccurrere, uel ſibi nullã
Admittit, qua poſſit, opem: defecta leuari.

Quid non audistis sapientem dicere? nunquam
Tale in se cadere, scic uos hæc sæpius: et nil
Ex illis nobis fieri. Quare mihi risus
Duplicat hic merito. Tu dulcis promptius ergo
Castre mihi arride. Multumq; insana putato
Hæc opera, et qcquid uulgus sapit, effuge sanus.
Neu nimium quicquā cupias, me tuas ue, nec ipsa
Gaudia secteris nimis, et super omnia tristis
Amoueas curas: Quæ, quanuis cætera possint,
In sapiente ullo nequeunt consistere pacto.
Nec tu materiam ridendi præbueris te,
Qui solitus reliquos salibus cōspergere honestis.
His ego te affari, et tecum quoq; ludere amice
Nunc uolui, et multis aliis ridere parabam:
Sed nouus, et uere risus præuertit, ut ipse
Vix me contineā, quin summa in gaudia ducar:
Lætitiamq; feram præ me fortasse seueris
Et grauibus nimiam. Sed quis lætarier ullum
Tam ueris solidisq; bonis permittere nolit?
Ne uero lateant te quæ mihi prospera nuper
Contigerint, ualeamq; meis componere rebus
Participē: rursus pauca hæc te ī uerba morabor.
Nouisti quem sors mihi Amicum præstitit, uno
Hoc forsan felix, cum sit contraria sæpe
In reliquis: et nos uariis Iactarit iniquis.
Hunc igitur modo dum magnis de rebus ad urbē
Itq; reditq; etiam in uenetos, formidine multa
Plena ualitudo inuasit, qua pluribus ille

Nocte

Nocte die grauiter uexatus, uincere tandem
Vim sæuam morbi ualuit, diis gratia, nuncq;
Vt solet, aggreditur iã grandia munera summis
Viribus, et summo uariũ atq; fidele ministrat
Pontifici officium, quod non tractauerit alter
E re christicolis melius, nam præter honestam
Et multam, quæ illi manet experientia rerum,
Ingeniumq; potens, nihil huic sine numine diuũ
Arbitreris agi, tantum uirtutibus æquam
Ipse adhibet mentem, tantum Ludibria uulgi,
Relligione patrum seruata puriter, odit ·
Quin'et ad hũc ipsum risum quandoq; uocari
Iure queat, tales nobis qui condere lusus
Præstitit, atq; alios grauiores, quos puto, ut ille
Adueniet, dabit unde alios superaddere possim ·
Hunc ut mi incolumem seruent et tu quoq; mecũ
Orato superos, neq; enim concedere quicquam
Nunc illos cupio nobis, et reddere maius ·
Nec minus interea mecum tamen aspera sæuæ,
Quam dicunt regnare, feras conamina diuæ,
Et quotiens sese contra dabit, obuius illi
Fortunam supera uirtute, et fortibus ausis;

AD IO. ANTONIVM SCHOLAM, CVM EIDEM VARIA AMOrum genera declarauerit, ad id, quod præstantissimum est, adhortatio.

SERMO. VII.

q Vo feror? unde abii? quæ me malesana cupido
Immutat miserum? cur non eadem mihi cordi?
Quæ nimis, atq; diu tãtum modo grata fuerũt.
Cur quod displicuit dudum, nunc omnibus oro
Supplicis superos? ut idem concedere nobis
Dignentur, uotisq; omnes ueneratus ad aras
Procumbo, et solũ hoc duro cum corde uolutãs
Imprecor, ut uotis cedant contraria uota?
Ah fatuum sperare diu mortalibus ullum
Incolume: Ah quid misero mihi tale timerem?
Cui promissa fides, et tot seruata per annos
Tam cito fortunæ fuerit resoluta ueneno,
Conciderit'q; breuis momento protinus horæ.
Hæc ego præteriens Antoni uerba querentem
Audiui Iuuenem, memori quæ mente notaui,
Et mecum illius sortem miseratus iniquam
Accessi, et propius, quod erat mihi forte sodalis,
Percunctor tanti quæ nam sit causa doloris.

Ille

Ille autē neq; ad hæc mihi respondere, neq; ullas
Tum consolantis uoces demittere ad aures:
Immodicā sed uim lachrymarū effundere: meq;
Inspicere, amplectiq; amens, donec prece uictus
Tandem uix posito fletu, sic hiscere cœpit ·
Heu duram alterius sortem ne quære doceri:
Vllo quæ nunquam ualeat mollescere pacto ·
Et nihil infidum credas magis esse, neq; Atrox,
Quā muliebris amans animus: si forte parūper
Intentumq; prius, solidumq; remittat Amorē ·
Hæc tantū: et rursus lachrymis cōplexus obortis
Discedens ultro miserantem me ille reliquit ·
Quo nunc attonitus facto, uix credere possum
Vllam adeo ingratæ mētis: quæ fallere tantum
Nedum permittat, sed dedignetur Amantem ·
Ecquis tam patiens, nanq; omnia scimus, amauit?
Tam'ue diu tantos potuit perferre labores?
Quis coluit Dominā numeris potioribus? et qs,
Pressius ut dicam, plura illo dixit in usum,
Aut fecit cuiquam? sed enim sic cuncta uicissim
Orbe rotant, et præcipue uertuntur Amores ·
Quare quo tenera est ætas magis hæc tua, tāto
Est mihi par super his te per nonnulla morari:
Quæ tibi nunc prosint, et forte salubrius olim
Adsint, cum ueniet eadem maturior annis,
Principio mollem quandam mortalibus ægris
Natura indulsit curam, quod amare uocatur:
Adiecitq; acris permixtos dulcibus ignes

Illecebris, uarium ne non foret illud, idemq;
Inter se aduersis pugnaret partibus iisdem.
Inde fit, ut qui amant secum ipsi sæpe uolētes
Dissideant, et mox diuersa prioribus optent.
Nec penè inuenias quenquam multumq; diuq;
Dilexisse, licet fuerit dilectus et ipse,
Qui non incassum tandem frustratus amarit.
Ipsa quoq; in pluris partes diducta cupido
Permulto sese, uarioq; auctore tuetur.
Nanq; adeo quosdam turpis iuuat una libido:
Vt nihil hac reputēt homini magis esse petendū.
De qs turpe loqui tā est nobis, quam facere illis
Obscœnum: quos et consulto prætereamus,
Ne quibus incipiat maculis sordescere sermo.
Sunt et quos genialis habet, fertq; impetus idē
Imprimis, sed eos ratio comitatur, et ultra.
Quam fas est, nō ire sinit: Licet ii quoq; sæpe
Declinent iter expositum, et per deuia tandem
Præcipites latum in Barathrū quandoq; ferātur.
Quorum ideo uarios numero cōprendere mores
Haud facile, his aliud quoniā persuadet amādo
Nūc animus, nūc mens aliud: quæ uicta subinde
Succumbit: Laxasq; illi permittit habenas.
Pars uero quæ nunc tamen est rarissima solam
Miratur speciem, siquam natura crearit
Eximiam, ac nostro uisendam ostenderit orbi.
Quos spectatores formarum dicere nemo
Abnuat egregios, et eosdem nolit Amantes
Laudibus

Laudibus æternum dignos præstantibus esse ·
Hinc aliquis miro ingenio seu condere uersus
Præstans, seu uitam concinnus moribus omnem
Ducere, seu modulo uirtutis qualibet uti
Aptus, in hæc quotiens descendit ludicra, nedum
Horum ullam amittit: uerũ meliora quothoris
Illa fauore nouo adiutus, potioráq; reddit ·
Nec minus hinc ualido præcinctus robore pectus
Ipse etiam interdum uires sibi sumit Amator ·
Quas quoniã in multis te iam legisse putamus:
Nunc ne priscorum per trita exempla moratus
Detineam, quæ plura patent quærentibus, audi
Quæ tuus hic nuper reuerendus auunculus usq;
Orbis ad extremum terrarum, rettulit illhic
Vidisse, egregiam dum operam nauaret honeste
Pontifici Xisto, quam nunc et pluribus annis,
Alterius summi patris ut pia iussa facessat,
In Venetis bene cultus agit et gratus utrinq; ·
Hic ergo, ut quandoq; solet, cum Seria ponit:
Comiter hoc nobis narrare occœpit amantis
Mirandum facinus: Cui, dum se iactat amicæ
Omnia facturum quæ iusserit, illa repente
Iusserat, ut Cæso ternum caput hoste referret ·
Hunc itaq; ex illo confisum aiebat amoris
Viribus iuisse, et medio certamine quenq;
Præualidum fortemq; lacessere protinus ausum
Tris leto iuuenes ualido mox ense dedisse:
Ternáq; spectaclũ horrendũ madida ora recenti

Sanguine adhuc turpiq; simul squallore pudicos
Ante pedes uno religata in fasce tulisse.
Hæc ille. Atqui nil aliud mouisse uidetur
Fortiter ut faceret adeo studiosus Amator:
Quam dominæ species, et quæ persederat illi
Semper, et ante oculos obuersabatur imago.
Quod si unquam talis te forte affectus habebit:
Nam petit ingenio præstantem et moribus: hic tu
Virtutem imprimis omni uenerabere cultu,
Diuinæ specimen dehinc contemplabere formæ,
Siqua erit è superis ad nos delapsa uenustis.
Quæ tibi perpetuo succensum lumine pectus
Excitet, et uitiis alienum uendicet una;

IOANNI ARAGONIO HISPA=
NIARVM PRINCIPI NOMI
NE. N. FRANCHI PONTI
CIS TARVISINI.

SERMO. VIII.

P Rinceps Hesperiæ Genus alto à san
guine regum
Quod placuere tibi parui præludia
Vatis
Prima tui, hoc sūmas agimus pro munere grates:
Nam neq; grata magis nobis, nec dignior ulla
Res unquam fuerit, quā quæ tibi grata uicissi[m]

Esse potest, eademq́; legi tibi digna uidetur.
Hinc iterum accendit tua me percepta uoluptas,
Vinclaq́;, quae laetum quondam iunxere beatis
Officiis, cogunt sanctos ut fontibus haustus
Aoniis ausim longo tentare recessu.
Et iam diuini laticis commota fauore
Pandere, quae dudũ secum Mens augurat, ardet.
Multa tuae prae se nituntur ferre benignam
Fortunae speciem, seu quis praegrandia Regni
Commoda, quae nullis cedunt felicibus oris,
Secum animo uoluat, seu te fore regibus unum
Haeredem tantis: quo spes et cura parentum
Versa omnis staret: seu iam perpendat Amorẽ
Immensum populorum, et Amicae debita gentis
Praemia, quae passim grata tibi mente feruntur.
Quae licet egregio, et constanti cuncta tenore
Proueniant, et te mortali demere coetu
Sola queant, nulloq́; egeant aliunde potenti
Auxilio, tamen his non inferiore putandum est
Esse loco, sacra quod praeditus indole caelsos
Iam prope Regali referas uirtute Parentes:
Quis neq; ui belli quisquam nec munere pacis
Antetulit gressus unquam, sanctaq́; uerendum
Relligione magis numen colit, atq; salubri
Coelicolas omnis ueneratur lege beatos.
Vnde ualent facili mortales noscere sensu
Illis imperium deberi grandius, ex quo
Non homines quisq̃ melius, nec Numina seruat.

Ergo age et accessus huius quoq; maxime princeps
Macte tua uirtute, simul uirtute tuorum
Te dignum præsta hæredem, nam maxima culti
Pars tibi debetur quondam quæ pareat orbis;

IMMINENTIVM TEMPORVM QVERELA.

SERMO. IX.

q Vi motus Animorum? aut quæ hæc co=
namina? quorsum,
Vndé ue præcipitat tantus furor? omnia late
Horrendum in facinus misceri, et ducere secum
Exiguo in spacio permixtum ignobile uulgus
Principibus, rerum quibus est permissa potestas.
Ipse ego, qui risu condire, et spargere cuncta
Iam soleo, nunc a lachrymis uix tempero, nāq;
Maiore haud unquam uexatas turbine uerti
Res hominum sensit, quæ proxima prodiit ætas.
Non' ne uides, ut nos subito circunuenit atra
Tempestas, ferit ex alto nam comminus atrox
Ira deum, dirusq; furit manifestius ignis.
Et fatalis ouans ceruicibus imminet ensis.
Heu male quā miseris fuerit mortalibus actū,
Iam quibus innumeræ mortes, et bella parātur
Non habitura modū prius, ac miseranda aiantū
Ingenti de clade manus uix parua supersit.

Heu quos infelix genus inclinamus ad annos ·
Sed quid inexpletæ uoces, lamentaq; tanta
Profuerint, si fata iubent, et sydera monstrant
Exitiũ infandũ, et nulli exuperabile monstrũ:
Siue inferna uirum cœtus Bellona fatiget.
Horrenda Eumenidũ soror et discordia uexet ·
Vel pater ipse acuat bellorũ in prælia Mauors ·
Vt uaria et solitæ prorsus sententia dispar
Insedit nobis, quos tot seruata per annos
Alma quies dulci dudum sub pace fouebat ·
In manibus ferrũ, nemo non prælia iam nunc
Exercet meditans secum nec respicit atram
Post cladem, quæ dira fames, quæ lurida pestis,
Et quæ præcipiti sequitur uiolentia passu:
Non ita præteritis uitam produximus annis:
Hæc aberant, et tanta diu clementia cœli
Præfuerat rebus, terris ut cuncta uigerent ·
Quin artes creuere bonæ, nec defuit ulli,
Quo, quantum uellet, posset perdiscere tantum ·
Hinc placidis morum tot cultus urbibus extant ·
Et tanta agricolis Agris cultura colendis:
Hinc illa accessit librum numerosa facultas:
Et miranda uiris rerum solertia uenit ·
Post hæc quin etiam quædam rediere minora:
Sed grata, et multis hominũ oblectantia mentes:
Vt quæ marmoribus uiuos imitantia uultus,
Aere uel, aut liquido simulant q̃ cuncta colore ·
Quæ'ue sonis mire mulcent, et cantibus aures ·

Et quæ perpetuis renouant ornatibus urbes.
Artificumq; manus uariæ, quæ molliter addūt
Aut ebori, argentó ue decus, quin multus in auro
Iam labor, ut sese multo pretiosius extet.
Et noua natiuis superaddita gratia gemmis.
Scilicet illa potens ætas iam prisca redire
Cœperat, astrorum uoluendis cursibus acta:
Nunc eadem retro citius sublapsa refertur,
Quam noua tantarum rerū primordia poscant.
Implacidum sydus nobis hoc uulnus inurit.
Sed si causa manet cœlo, non illa subire
Vim fati subigit quenquam, nec diua uoluntas
Seruili nisi sponte iugo dat libera colla.
Nos igitur quæcunq; parent, quæcunq; minentur
Sydera, prudentes non euitare nequimus.
Sunt ea, ni fallor, quæ impendent dira, nec ulli
Non grauia, et uariis non inconnexa periclis:
Sed uitanda tamen, possunt ea quippe minora
Reddi, si contra diuinitus addita nobis
Mens erit, et fato rerum prudentia maior;

AD ANDREAM TRIVISANVM PONTIFICEM FELTRIENSEM, COMMENDATIO Edendorum Sermonum.

SERMO. X.

A Lterius quisquis natos sibi stirpis adoptat,

Hos amat, utq; suos prudẽs alit: et tamen intra
Innatum propriæ sobolis præseruat Amorem.
At qui foecunda prolem de coniuge sumit,
Omnibus hanc miro præfert conamine rebus:
Atq; adeo interdum potiorem se putat ipso,
Negligat ut uariæ uitare pericula sortis.
Sic ego sermones tanquam mihi pignora mente
Eductos alitosq; pari uirtute paraui.
Pro quibus ut iã, quid ualeat fortuna, necesse est
Experiar, subeamq; parens cum foetibus unà
Iudicia exemplo mihi formidata uetusto.
Nanq; ut difficili gliscit sub matre puella
Spectari iuuenum turmis incauta pauensq;,
Sic nostri aut iusta cauti formidine forsan,
Euolui docto cupiunt lectore libelli.
Atqui alui hos intra sedati limina tecti,
Et compsi, monuiq;, palàm ne forte uenirent
Incompti, aut maculis contacti prorsus ab ullis.
Propterea æstatem iam nonam uisere pergunt,
Ex quo non facili paruoq; labore paratos
Admoneo assistẽs prope sedulus, et grauis hortor
Ne sibi tam placeant, quin recti iudicis ante
Explorent aures, quales qui Pallados arte,
Vt tu, uaniloquis purgatus sordibus explent.
Edendos tamen esse putant, cum tempore iusto
Perpessi fuerintq; moram, Limæq; laborem.
Quare age iã bñ diis pulc' req; iuuantibus orã
Soluimus, et paruæ tendentes lintea Cymbæ

Ingredimur uastum Zephyris spirantibus æquor.
Quod si qua in scopulos uel si uada cæca phaselus
Paruulus inciderit, nam passim multa uaganti
Offenduntur, opem tu protinus optime ferto,
Ingenuiq; boniq; et docti fungere more.
Tecum aderunt etiam multi mihi forsitan, ut q
Naturæ eximiæ doctrinam adiungere curant
Iam docti atq; boni uenerandum nomen adepti.
Vnde Rati quotiens nostræ spirauerit Aura,
Illa graues totiens felix uitauerit æstus.
Hæc tibi frondosa cessans sub rupe canebam
Montelli Nympharum auido gaudentis Amore:
Postquam Naiadum decus huc Bellona recessit,
Subriguitq;, Silim fugiens è fontibus amnem
Occultis, quibus hic longis ambagibus errat
Subter humũ, atq; iterũ sub lucem limpidus exit.
Nanq; ferunt illam, simul ac est uersa Deorum
Nutibus in collem pro uirginitate uirentem,
Innumerum circa numerum uenisse Dearum.
Floribus huc redimita caput, sertisq; Napæa,
Glandifera Dryas huc incingens tẽpora quercu,
Et summo residens in uertice montis Oreas,
Nais item propter labentem proxima lymphã,
Vnà oẽs uertêre gradum, quibus addita uenit
Fontibus, atq; antris gaudens et montibus Echó:
Sed nulla potiore agitant in parte fauentes,
Quam qua frugiferis Marcelli in collibus errãt:
Obseruantq; loci Dominum, qui plurima cultu

Contulerit

Contulerit speciosa suo, nec prodita tantum
Sponte pia telluris iners adamauerit, et quo
Iā Nymphis digno nymphæ sunt præside dignæ;

ALBERTO VONICO, TARVISINO EQVITI ET IVRE consulto.
Χρυσοποιΐα.

SERMO· XI·

n T noris quæ forte mihi Vonice uidenda
Contigerint, positis rebus paulisper agendis,
Audi quæ poterunt forsan tibi uana uideri,
Si reputes, sed uera tamen, nec somnia credas,
Vt sapiens, qui multa uides uelamine moto,
Quod circumpositum sic caligantibus obstat
Sæpe oculis, ut uix paulum discernere possint
Discrimen rerum obscurum. Sed pergite Musæ
Vestrū opus hoc, paucis hominū nunc uisa canamus.
Transieram mediū sub iter iā mille feroci
Ipse animo horrendis perpessus monstra periclis,
Cum me difficilis cœperunt tædia uitæ.
Et iam terga locis uertebam fessus iniquis,
Numina ni tanti mouissent sancta labores.
Nam quis tot uastas potuisset repere rupes
Vi sine cœlesti? siluasq; et lustra ferarum

Fluminaq; abscissas inter currentia ualles
Transisset uita incolumi, tutusq; malorum?
Sed fesso auxilium Deus attulit, et mihi certus
Continuo illuxit puro sub lumine Callis:
Cum prius offerrent sese quocunq; tenebræ.
Principio auulsum magno de corpore saxum,
Et contra arrectum prærupta mole subibam:
Qua tenuis tantum uenienti rima patescit.
Et qua nec radios profert, nec lumina Phœbus,
Errabam in cæcis tenebris et nocte profunda:
Donec sæpe graui passu loca tetra remensus
Illhic, unde breuis mihi se lux obtulit, hæsi.
Hic uero primum subsedi fessus, et ante
Prospectans, circumq; oculos per singula uoluens
Extimui, retroq; pedem tum forte tulissem:
Sed me ne facerem tenuit qui rupe cadebat
Exiguis humor guttis, acremq; leuare
Ipse sitim admonuit, siccis quæ faucibus olim
Hæserat, et nusquam suasit desistere cœptis.
Sic ego iam modica requie paruisq; refectus
Haustibus, inceptum, qua callis peruius extat,
Ire iter instituens, iterum sub luce maligna.
Conuallem obscuram nebulis, pluuiisq; madentē
Ingredior, quæcunq; pati grauiora paratus.
Atq; hic lenta solo putri uestigia figens,
Vndenos quater ipse dies cum noctibus egi.
Iamq; uiæ ad summū tandem uenisse uidebar,
Cum mihi se penitus oculis lux abstulit omnis.

Quid

Quid facerẽ? uel qua tantis proferrer ĩ umbris?
Aut quo me solita retro sine luce referrem?
Nec tibi quæ interea transmissa fluenta, Lacusq;
Euasi, refero, Aut mediis quam sæpe sub undis
Me me habui, colloq; tenus latera ipsa subegi.
Quæ non uota deis: seu quas non mittere uoces
Substinui? quæ'ue ipse Animo non iusta peregi?
Tum mihi uisa preces inter discindier ingens
Cum tonitru nubes, purumq; per Aethera ferri
Accelerans, et lux terris placidissima reddi.
Ac uallem interea iam prætergressus opacam
Exieram altos in campos, lateq; patentes.
Atq; hic diuersis maculis inspersa per omne
Corpus ouis, varioq; micans tum forte colore
Quærebat tenuem lanæ candentis Amictum
Sedula propter aq̃ uitreis ubi Riuulus Amnẽ
Præterit immensum Lymphis, et florea circum
Arua sonans scatebris leni cum murmure fertur.
Hanc ego perfectis uotis ut proxima uidi
Gramina carpentem, nitidiq; ad fluminis undam
Siccantem uellus, fluuio quod merserat ante:
Continuo obstupui miro succensus Amore
Sectari pecus egregium, quo tendere gressus
Inde uideretur, uel qua se uerteret usquam.
Hæc ita perpendens stabili dum mente uoluto,
Et recta iam tendo gradus, auidusq; propinquo,
Illa solo teneris alta ceruice relictis
Floribus ibat ouans contra, meq; ipsa petebat.

Ac ueluti nouisset herum, mihi protinus ultro
Blandiri, et gremio sese dare, et aurea saepe
Cornua, saepe ungues ostendere, uersicolorq;
Motare interdum uarium latus, et mihi prorsus
Sola uni tantis opibus gestire colenti.
Ast ego quam poteram magno ueneratus honore
Accipio hanc, blandeq; fouens deduco sub antrū:
Excisum quod forte caua de rupe patebat
Obductum uiridi musco, spissisq; corymbis.
Deinde thoro lectis foliis et fronde recenti
Substrato, liquidos fontes, et laeta ministro
Pabula, et huic paribus studiis certare laboro.
Hic illa exuuiis positis noua uellera primum
Induit, et uicibus tot eas mutata resumit,
Quot trahit aduerso solis splendore colores
Iris, ubi terris caelo incuruata recumbit.
Aut quot saepe leui motu uariata uidemus
Colla referre Auium, quas iuno iungere curru
Ante alias omnes uolucres dignata superbis
Centum Argi uoluit praetexere lumina pennis.
Bissenos menses ita se uariantibus illis
Praeterii, cum iam niueo Candore uiderem
Omnia conspergi: et laeto mihi pectus inibat
Pertentare pauor simul et pertundere cura.
Contemplabar enim quo diues uertere uellus
Coeperat, et mihi non paruū rabida ora timorē
Intulerant Animo, quae uix arcēre cubili
Nostra uigil poterat Custodia, Siue luporum

Inglunies

Ingluuies erat, aut rabies pellenda leonum:
Et quos inuidia exagitat uesana timebam.
Sed metus ille tamen uanus, neq; uis mihi obesse
Amplius ulla uirum poterat, non ulla ferarũ.
Vescebatur ouis passim florentibus herbis
Apricos uaga per campos, ubi nulla perennes
Vrit hyems glacie segetes, aut solibus æstas.
Temperies illis tanta est, et gratia cœli.
At grato quondam uictu mihi mitia poma
Præbebat ramis fœta incuruantibus Arbos
Semper, et irrigui complebant pocula fontes.
Alter et interea circum se uoluerat annus:
Instabat'q; dies promissi muneris, ut iam
Sperarem reditum longo post tempore lætus
In patriam, et tanto finem prope adesse labori,
Ignarus quod erant mihi sex obeunte calore
Seruandi, atq; etiam totidem sub frigore menses.
Nam quæ marmoreo succrescens alba colore
Iam candens ebur, et nitidos superabat olores,
Nescio quem in croceum sensim conuersa ruborẽ
Tendebat tyrio paulatim Muricæ pingi.
Vt uidi, tum maius opus, tunc aurea terga
Speraui, atq; operi tanto præferre laborem
Haud ullum passus, pariter'q; impendere tempus
Omne illi instituens, Iterum melioribus ipse
Auspiciis tantas accingor uincere moles.
Donec concessi perfecto temporis orbe:
Candida purpureum referebant cuncta colorẽ.

Et de purpureo subitus color aureus ibat.
Nec mora continuo pecus ore, et naribus aurum
Aurea suspirans cadit, et graue pondus inani
Corpore uellus adest pedibusq́;, et cornibus au= (reis.
Hic ego tũ grauiter casu perculsus acerbo,
Lætitiáq;, Auidusq́; loco discedere primum
Vota deis, gratesq́; simul persoluo benignis:
Mox humeris onus imponens ad proxima tendo
Littora, et in patriam rediens, Sic alter Iason
Aurea felici deuexi uellera Colcho;

AD.L.MAXIMVM PATAVINVM.

Esse prouocationem aduersum detractores:
Actionum, ad conscientiam: scripto=
rum, ad posteritatem.

SERMO. XII.

m Axime qui fidei plenus sic semper
Amicis
Idem ades, ut præsens uideare absen
tibus esse,
Eia age, ne nobis noceat mala lingua, caues'ne?
Dũ longe à docta et dulci nunc absumus urbe.
Ipsa mihi, memini, puero iam baccare frontem
Cingebat Mater: nec uerba precantia Diuos
Linquebat, ne quis uerbis oculo'ue noceret.
Hunc ego cum longo tenuissem tempore morem:

Orabam quoq; cœlestes : Rumoribus ut me
Vesanis uulgi expositum defendere possem.
Verum ubi nec prodesse mihi pia cura parentis
Visa, nec illa etiam, superos quæ sæpe precabar
Collegi meme, et rationem temporis acti
Subduxi, à primo ueluti perducerer orbis
Principio ad summũ, sub quo nunc degimus, æuũ,
Illhic ætatis uitium cuiusq; dolentis
De sese offendi, nihil et sine crimine sub se
Ponentis, neq; laudantis nisi quod foret annis
Præteritis ortum. Diuinos sæpe poëtas
Ludibrio hinc populis factos, dum ducere uitã
Contigit, inueni. nec non et sancta professos
Dogmata, qui sophiæ gaudent cognomine, passim
Ante obitum spretos. Dirus sic omnia liuor
Impetit, et morsu dentis male conficit atri.
Quæ cum sæpe aio uoluissem, cuncta proteruæ
Esse hæc Fortunæ, nec ob id metuenda uideri,
Sed risu spargenda, et contemnenda putaui.
Id tu etiam, si forte aliquis mea carmina, uel si,
Quod uellẽ minus, optaret mihi carpere mores :
Tecum agita, et simili tibimet succurre medela
Atq; mihi : Neq; enim potis est compescere quisq;
Inuidiæ stimulos, cum sentit maxima uiuis
Attribui : quæ'ue ipse nequit præstare, reposta
Alterius sub mente uidet, maiora'q; semper
Hæc fieri, ut sensim ulterius procedere tempus
Inspicit, et medio in spacio dolet ipse relinqui.

Siquando obiectet quisquam mihi turpia factu,
Continuo mentem appello, quæ conscia ueri
Ipsa sibi partes delecti iudicis æquas
Arroget, atq; palàm subito quod senserit, edat.
Factorum certus mens est sibi conscia Iudex.
At siquis quos forte iocos, et seria uersu
Connecto, exagitet: ad sanctam posteritatem
Prouoco, quæ nulla inuidia, nulloq; malignæ
Mentis inardescet uitio: uerum omnia recto
Iudicio expendens nunquam fecisse minoris
Ista uolet, quam sint. At fors maiora putabit
Hæc eadem, ut se post in lõgum proferet Aetas;

FINIS.

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI AD PANDVLFVM MALATESTAM IMPVBERI TVM AETATE ADOLENTEM, ATQVE ARIMINI PRINCIPEM, CARMINVM LIBER PRIMVS.

ODE. I.

Llustris ueterum progenies
Ducum
Auctura Italicum militiæ
i decus
Antiquæ, egregia, si quid ab
indole
Veri præscia mens longius augurat:
Pandulfe, hanc tibi quo possumus aptius
Conamur tenues Aoniis diu
Distinctam fidibus tendere Barbiton.
Qua iam quæq; geres fortiter, auribus
Intentis moduler prodita posterum.
At nequa dubius forsitan hic roges:
Ecquidnam meritis addere fortibus
Exilis gracili musa queat sono:
Noris quam facile protinus euehant
Sese, quæ modicis edita ab ortubus

Sensim per numeros proueniunt suos ·
Hanc ergo in reliquum sic meditabimur
Exemptam exiguis ducere uocibus
Priscorum sonitus inter, ut arduis
Iam factis etiam proxima consonet ·
Quin et cum superum numine res tibi
Crescent eximiæ, surget et altior
Nobis ex humili spiritus, et tuas
Per laudes agilis nos feret · Interim
Quas hæc cunq; tibi primitias leui
Præludit Cithara, ne fuerit precor
Tanti parua quidem continuo mora,
Quin æqua accipias Aure · solent prius
Neglecta, interius si uacat inspici,
Quondam non minimo post pretio fore;

AD · P · GLYCEREN · LAVS POETARVM ·

ODE · II ·

u · Irtute maius nil Glycere boni
Diui dederunt: ne stolidas opum
Vires, et insanos honores
Assiduo mediteris ore ·
A st ipsa Vatum ni celebris tamen
Et clara cantu est: sic latet abdita:
Abstrusus olim ut fulgor hæret
Gemmeus: artificis quousq;

D etectus acri diradiet manu.
Videre patres indigetem Deum
Aeneam: et iidem ipsi superbum
Hectoreis spoliis Achillem.

S ed musa, longo ne pereant die,
Nobisq; noti tam bene sint, quam Auis:
Deduxit illos, nos adusq;
Carmine perpetuo nepotes.

E st et fides et gratia Vatibus:
Est dulcis oris spiritus: est Amor,
Qualem nec ullus præstet ipsis
Omnibus exanimis sagittis.

I nuisit Orpheus Impia pallidi
Ingressus Horci regna, inamabiles
Manes, et horrendas tremendi
Eumenides famulas Tyranni,

I llhinc acerbo funere coniugem
Raptam reduxit penè, potentibus
Vocum Camœnis æque et omni
Threicia modulatus arte.

Quin ipse dura cæde per aridos
Discerptus agros, Euridicen suam
Iam uoce quærens, nil suprema,
Quam miseram Euridicen uocabat.

E t nos uenustis moribus, et tua
Virtute capti, hac tenui lyra
Primisq; et extremis pudicam
Carminibus Glyceren canemus:

IN OBITV ROBERTI MALATESTAE DVCIS INVICTI AD Ciues Ariminenses consolatio

ODE. III.

e Cquid diminuet graues
Hic cantus lachrymas Pieri Ciuium?
Et luctu statuet modum?
An desyderii uulnera refricans
I ampridem Cicatricibus
Obduca leuiter cœpta recluserit?
A n ne, ut sera medentium
Maturo Auxilium fert manus ulceri,
S ic quando incipiat dolor
Longo iam fieri tempore languidus:
T ristis lugubribus diu
Mœrentum numeris cura leuabitur?
V t cunq; eueniet, iuuat
Et mi consulere, et quærere ciuibus
Qualencunq; meis opem.
Ergo tam cito sic optime Principum
I mprouisus abes tuis?
Et nos te ex oculis protinus auferens
T antis deseris in malis?
O fallacem hominum spem: et fragiles quoq;
F ortunas: et inania
Commenta: in medio quæ spacio ruunt.

H eu quanto miseri antea
  In fluctu obruimur, quam placidum prope
P ortum cernere possumus.
  Tu nobis reditum pollicitus bona
S pe mentes dubias prius
  Implesti: sed erant flatibus editæ
V oces Aëreis tuæ.
  Vrgebant etenim fata tibi graue
E t clarum facinus dari:
  Vt scirent homines quæ uegeto tibi
V ires consilii forent:
  Quod uirtutis opus rebus in arduis:
Quod robur quoq; pectori
  Perstaret: quibus heu iam uiolentior
F ati uis aderat comes.
  Hunc iidem ut cumulum uix homines opum
T antarum inspicerent procul:
  Sublatum ex oculis quærere pergerent
I ncassum queruli diu.
  Ex quo nanq; die uisus es acribus
F ormidabilis hostibus:
  Multa cæde uirum exercitus insolens
V irtute eximii ducis
  Confisus, simul et robore proprio
I nnixus, penitus tibi
  Prostratus cecidit continuo, Deum
C onfossus iaculis uelut:
  Aut uibrante Iouis fulmina dextera.

A t dum functus honoribus
Incedis: tibi quæ munera Pontifex
R omanus dederat tuis
Incensus meritis: heu uolucris nimis
N obis te eripuit dies:
Nobis: atq; tuæ dux bone patriæ:
C ommune Italiæ decus:
Et flentis columen militiæ: sed heu
N obis heu magis omnibus
Nobis eriperis: iam solitis tuæ
I n spem uiuere gratiæ.
Hæc ciues ego mecum, hæc quoq; sæpius
F rustra conquerimur simul
Curis sollicita pectus inanibus.
S ed nullis querimoniis
Interrupta prius fila tenax colo
C urat parca reducere.
Ergo perpetuis usq; doloribus
A ngemur miseri? neq;
In mentem ueniet? ne bene commodis
N ostris alterius uicæ
Ingrati posthabita simus et impii.
N am terras simul illius
Impleuit memores gloria nominis:
H unc ipsum ad superos, ubi
Aequaret meritis præmia fortibus,
A eternum stabili manu
Ducens asseruit: perpetuoq; apud

H ic æuo fruitur Deos:
Felix Cœlicolas inter, et arduos
H eros eximius Duces.
At non ille tamen sic etiam sibi
S oli consuluit bene:
Sed nos respiciens, ut decuit, quoq;
S olari uoluit suos:
Tantam qui sobolem, tam similem sui, et
Quæ se tam referat, dedit
Nobis, intuitu cuius, et altius
A ctus uisceribus dolor
Tandem desineret fractus: et ocyus
H ac solamen imagine
Perfusos Animos, lætitia pari
E xpletos ita redderet:
Tanquam nulla prius damna subiuerint;

AD GLYCEREN, ARDEN
TIS ANIMI AFFE
CTVM DECLA
RANS.

ODE. IIII.

Vius affectum penitus furentis
h Spiritus siqua Glycere uideres:
Forsan hunc olim paterere casto
Pectore condi.

C um tibi supra caput, atq; circum
A ureos crines uolitans, Anhelus
P endeat semper: semel ut nitenti
Sidat in ore.
H ic ubi sanctos ueneratus ignes
S yderum, læta quibus ipsa fronte
L ucidum fulges, nitidos pererret
Purus ocellos.
I amq; de sacris facibus furore
P eractus, sensim subeat recessus
Q uosq; : dum tandem ueniat pudici
Cordis in Aedem;

OPTAT IVLIVM ALEXANDRVM CAPELLAM SVB Populo in amoeniss. uilla Bernardi Bembi Veneti Senatoris clarissimi sitæ Amoris curas solari.

ODE. V.

q Væ Iuli uitreas populus arduo
Bembeas ad aquas uerticæ tollitur:
Viuum cæspitem obumbrans,
Intonsa Bicolor coma:
C ertatim ut nigeat, tendat et altius,

Hanc

Hanc Nais fouet : et nutrit Amadryas :
Hæc intus uegeto : extra
Puris illa liquoribus ·
Quin huc, torret ubi Sirius aridos ·
Fontis, et pluuium combibit Aëra, et
Phœbeos subit ignes
Feruens Herculeus Leo,
F essum se recipit Faunus : et igneos
Frondosis releuat Heliadum artubus
Nunc æstus : modo lympha
Arentem gelida sitim ·
F elix deliciis tot locus : at magis
Ducentis Domini munere, cum libet,
Huc Pæäna canentes
Phœbo Pieridum choros ·
H ic te lesbiaca uisere nunc uelim
Solantem Cithara nobilis asperos
Digressus Ariadnes,
Congressusq; laboribus
P artos innumeris : quis ego sæpius
Horrerem metuens heu tibi, ne graui
Succumbas oneri : ni
Quantas ipsa cupidinis
V ires sufficiant spicula nouerim :
Expertus totiens quæ uacuo mihi
Hæserunt lateri, utq;
Inspirat Dominæ leuis
S urgentes Animos aura, nec arduis

In rebus patitur ponere, pendula
Sed spe detinet usq;
Erectos leuiter sinu;

REFECTIO APVD AQVVLAM IN VIGILIANO. N. FRANCHI PRAESVLIS TARV.

ODE. VI.

Eus puer mihi cessas
h Lentus pocula promere?
Non quibus scatebris uides
Arua temperet arida
Lympha: quæ tenuis procul
Monte desilit arduo:
Et gratum Domino inde
Iugis irrigat hortulum.
Huc uina propere ferens
Curre cæcuba uel Chia:
Vel quod iis prope collibus
Dextro numine prouenit.
Prosit hic age tristem
Curam, extinguere pectoris:
Curam, quæ nimio exedit
Igne nos penitus leues,
Siqua insederit altius.
O quæ uirgineum lauis

Pura

Pura corpus in unda
Nympha, fas laticem sacrum
Ore ducere languido
Diluto tibi libero,
Qui Nymphas neq; dedecet,
Quæ fotum gelido sinu
Iam lauêre perustum
Flagrantis Semeles Ioui
Ereptum ex utero Deum.
Fas sitim abluere interim
Dum Phœbi iubar aureum
Terris imminet aridis:
Qui per ampla Leonis
Terga nunc rapidus furit.
Mox uestris ego poculis
Refectus Citharæ manu
Admota, facili lubens
Voce carmina diuidam.
O quis me potior tunc
Fundet uerba sonantius?
Dulcem quis melius fidem
Grato pollice mouerit?
Dicam perpetuo tuos
Ire tramite riuulos:
Qua loci Dominus per
Doctos duxerit ordines.
Dicam lucidius uitro
Te stratos super hac et hac

Iter ferre lapillulos.
Adderem quoq; quam leui
Hæc distinxerit arte,
Qui te præcipue colit
Franchus Pontificum decus.
Illius sed erit locus
Laudis post alius mihi,
Vnquam si ocia libera
Nactus uixero uitam:
Musis quæ sine dulcibus
Felle mi sit amarior.
Illis at comitantibus:
Melle sit mihi dulcior.
Siquando Auspiciis Deum
Meo hanc duxero nutu;

APOLLINEM PRECATVR, VT FAS HABEAT HORATIVM Flaccum imitari. atq; utriusq; interim laudes canit.

ODE. VII.

d Iue Latona sate, qui supremi
Dulce pertentas animum parentis
Aureo plectro et Cithara decorus
Fratris Eburna.
Tu Poëtarum uenerandus auctor:
Quem

Quem nouem circum resident puellæ.
Tu salutari reuocas ueneno
Corpora leto.
Tu procul uentura uides: tibiq;
Deditus sentit recinentis Augur
Alitis linguas, uolucrumq; pennæ
Præpetis Omen.
Tuq; tot late spacium prementem
Iugerum multa colubrum sagitta
Sternis: hinc dictos celebrat Iuuentus
Pythia Ludos.
Hic pedum cursu iaculo'ue primus,
Et potens cæstu, melior'ue disco,
Et catus lingua, Esculeæ reportat
Frondis honorem.
Arbore excerptæ uaria corollæ
Pendulos crines poterant decere:
Cum tibi non dum propria uirerent
Tempora Lauro.
Quæ tuus quondam Iuuenilis ardor,
Vt simul terris fugiendo inhæsit,
Sola de cunctis decorat recepta
Teq; tuosq;.
Te claros, nec non Pataræa regna,
Teq; Natalis tua Delos amplis
Laudibus tollit, colit et uerenter
Delphica tellus.
Phœbe, qui curru nitido per orbem

I n Die curris semel, et uaganti
N octe fulgentis radios sorori
Porrigis ultro,
S plendidum mentis mihi lumen, atq;
S piritum reddas modulantis oris,
V t queam gratis fidibus latinum
Dicere Carmen:
Quo ferè primus docilis modorum
D aunius Vates meditatus æquas
P rotulit Laudes tibi feriato
Secula Centum.
Quó'ue nunc diuos, pueros'ue diuum,
N unc opes regum canit, aut proteruæ
I mprobis actus stimulis Iuuentæ
Detegit Ignem.
A ut humi praue uitiis grauatos
D eprimit: multóq; leuat decore
A ureos mores, fidicen per omne
Nobilis Aeuum.
F as mihi gressus auide sequenti
I llius, tantum nemorum per alta
P rogredi, quo me meritis decenter
Frondibus ornes;

AD DAPHNIN·

ODE· VIII·

O Qui perpetuo nulli uel Amore secundus
Es uel honore mihi:
Cessure et meritis ullo post tempore nunq̃
Pectore Daphni meo:
A ccipe quid mediter, uel qua deducere uitæ
Quod reliquum est, studeam:
N e mihi ad extremum contingat dicere, Troio
Sero in equo sapimus·
N e'ue noui quicquã acciderit, quod mente prius nõ
Euoluisse queam·
S ed ualeam, siquid ueniat spem præter, id omne
Apposuisse lucro·
S ic'q; utinam faueat Diuum clementia cœptis
Propositis'q; meis,
V t mihi per dextrum directa est orbita callem
Quomodocunq; ferar·
E st duplex hominum genus, et uia bina per illos,
Ambiuium'q; itiner·
A tq; utrunq; quidem digna se laude tuetur,
Præsidio'q; suo·
S unt qui peruigiles ad agenda negocia nati
Alterum iter teneant·
Qui patriæ tendant, et cognatis, et Amicis
Ferre salutis opem·

M agnum opus, et cũctis memorabile: quale benigna
Tu quoq; sæpe manu
T ractas: et celeri præcurris nomine, quosq;
Est tibi cura sequi.
S unt alii, quorum ingeniis est semita miris
Altera trita modis:
Quis Vrbis strepitusq; Foriq; frequentia certo
Grata Animo minus est.
A tq; ideo altorum Nemorum, Fluuiumq; recessus
Quærere semper amant.
I am quibus inuentis dulci requiete fruuntur,
Compositisq; bonis.
N ec segnes adeo, nihil ut Mortalibus ipsi
Parte sua inueniant.
H is sed in Arcano grauium solertia rerum
Pectore multa uiget.
Qui ualidum scriptis multo molimine quærant
Posteritatis opus.
Quos ego ut ingenii uires patiuntur, Amœnis
Insequor usq; locis.
E t modo per summos dextrum perducere colles
Nitor in alta pedem.
N unc leuibus musis secreta in ualle uagari
Læta per Arua iuuat.
Qualis nempe tuis modo cum spaciarer in agris,
Forte ut eram propius,
H is oculis illas uidi properantis aquai
Leniter ante caput.

E quibus

E quibus una sacro postquam inuitauerat acrem
Pellere fonte sitim,
H inc tibi spes omnis uitæ, quam concupis, inquit:
Atq; quietis erit.
H æc uarios haustus secum, et medicamina plura
Vnda salubris habet.
T ristibus et cunctis animi ualet Vna mederi
Sollicitudinibus.
D ixerat: at flexis genibus ueneratus adoro
Mox ego Pronus aquam.
A tq; auidus summo tetigi uix ore liquorem,
Cum subito inualuit
M aior uiuendi curis procul illa uoluntas,
Et mihi certa magis,
Quam mihi dii fixint Propriam: ne forte relabar
Amplius, ut soleo:
A lterius uitæ in fluctus: agiter'q; procellis
Horridioris Aquæ;

AD IVLIVM ANTONIVM CHEREGONIVM IN DVRVM AMOREM ALDVLAE.

ODE. IX.

Vli rure domi foro urbe miles
Annosus positis quiescit armis:
Grandæui renuunt Boues Aratra:

Putris in tenui Phaselus Alga
Secreta pariter senet quiete.
At quæ soluet Amore me senectus?
Non si Nestorei mihi dabuntur
Tithoni'ue dies, misellus unquam
Tantorum inueniam modum laborum.
Heu dùro satius fuit Tyranno
Seruire, et gemere in tuo Perille
Tauro condite, Gorgonis'ue uultu
Obdurescere, pascere et rapacem
Crebro pectore Caucasi uolúcrem:
Quam ferre imperium malæ Puellæ.
Nam solus licet ambules beatus,
Et pleno teneas Amore fastus,
Pondus nulla tamen diu puella
Habet, multiuola, et maligna, et Audax
Nec sic flamine summouentur undæ:
Vt mentem huic uariæ premunt Procellæ.
Obsistam tamen: et leuem et superbam
Prece et muneribus minisq; nitar
Firmam tempore reddere, et Benignam.
Sic molli lapides cauantur unda:
Sic rubigne conteruntur enses.
Quod si tam ualidum et potens Acumen
Non profecerit: attamen proteruo
Nulla soluet Amore me senectus;

AD IVLIVM ALEXANDRVM CAPELLAM ET FVSCI VM SODALES.

ODE · X ·

I Aetus et prudens ueluti futuræ
Frugis, hoc nobis itiner sodales,
Quis uiret frondens docili iuuenta
Robur, inibo ·
A tq; cultorem segeti feraci
C ura et omni hunc opera parabo,
C uius Actææ facili seruntur
Ore Camœnæ ·
F orsan effoeta quoq; iam quid ipse
P roferam terra, nisi inane pondus
P ectoris circum penitusq; sanguis
Frigidus obstet ·
A lter ò saltem medio superbi
P ulueris cursu uagus usq; rector
C arcere effusis adero sub ipsa
Fine laborum ·
F ungar in duro uice cotis ense:
Q uæ secandi expers ualet hunc acutum
R eddere, et tantum bene gratulabor
Muneris Acti ·
O Diem lætam: mihi cum locuto
T alibus tecum liceat profari:

D octe sermones utriusq; linguæ
Dulcis Amicæ
I ule nunc Phœbi es meritus parentis
F ilius dici: bene qui Senatu
S plenduit quondam Veneto: sed ille
Gratus Olympo.
N uper heu nobis Nebulæ recessu
C andidæ raptus, superisq; Sydus
R edditum, et stellis iterum, suoq;
Sole renidet;

AMARACVS GLYCERE DONO MISSA, IPSAMET LOQVItur, multis se olentibus herbis & floribus præferens.

ODE. XI.

E forte Glycere infima
* Herbarum uidear non male olentium:
Quæ nunc exiguum tibi
Deuoti uenio munus Amiculi:
M e quondam Domino Puer:
Dum mensam uariis replet odoribus:
D ilapsus pede lubrico
Hærentem teneris induit Artubus.
H inc illud redolet mihi
Perfusum foliis Ambrosiæ decus:

Quod non per tenuis Crocus
Flores, nec ſua per lilia reddere
N araſſi poterit dolor.
Sed nec purpurei uulnus Adonidis
V nquam præſtiterit: licet
Amentis madeat ſanguine Cypriæ.
N am motum grauiter ferunt
Bellorum dominum: quod Cynareium
E t ſiluas coleret Venus:
Mox Aprum rabidis fulminibus trucem
M iſiſſe, ut lueret miſer
Crudeli Iuuenis gaudia funere:
C uius cum gemitum Dea
Senſiſſet, tenui, forte ut erat, Thoro
N udum proſiliens pedem
Impegit rubidis ſentibus inſcia.
A lbentemq; prius Roſam
Permixto exanimis ſanguine Adonei
I nfecit Veneris cruor.
Quæ quamuis Tyrio muricæ clarius
P aſſim præniteat, tamen
Ne mecum uelit illudere naribus:
N am ſeu me uiridem leui
Vmbra, ſeu rapidis ſolibus aridam
M olli contuderis manu:
Spirabunt pariter protinus omnia,
Quis Aulam domini puer
Vnguentarius aſperſit Amaracus;

AD.P.GLYCEREN.

ODE. XII.

Estatem nonam agimus uita:
a Ex quo Mercede tua contigit:
Vt non caderem saucius igneo
Ictu, quo præsens mihi pectori
Amor exitium durus iusserat
Atq; ipse leuatus premerer tamen
Hoc perpetuo uulnere: Quod mihi
Corde proprio foueo carius.
Quo sine uitam ducere non uelim:
Nec si imperio orbis donarer,
Hoc grato ualeam igne carere:
Qui te non minus acris adurit,
Quam mihi flammas uerset in ossibus.
Nec tua me tantum species mouet,
Aut uarias admiror tantum,
Quas bene tractas Palladis artes,
Nec uerborum mellifluus Lepos
Ingenuo additus usq; pudori
Pertentat nobis mentem æque: ut
Incorrupta et non uiolabilis
Vlla arte fides: quáq; uicissim
Me studiis obseruas mutuis,
Vt te paribus prosequor Animis.
Talis tu mea Glycere semper

Hærebis mihi: teq; tuosq;
Mores istos, et uirtutum
Egregium decus, hosq; decoris
Diuini specimen uultus, et quæ
Egeris, aut bene dixeris unquam,
Haud fraudauero merita laude
Proq; uirili parte reponam
In bene memorem posteritatem;

AD · I · ALEXANDRVM CAPEL LAM IN OBITV PAREN TIS CLARISS · V · CONSOLATIO ·

ODE · XIII ·

c Vr non, uix quoniam repsimus arduos
Colles, in uiridi gramine paululum
Hac sub non temere Iule recumbimus
Frondentum Nemorum coma?
Quam circum feriens Aura remurmurat
Aestiuum, et uarios ingerit auribus
Concentus Auium, præ quibus omnium
Contemnas hominum modos ·
S iue Antrum potius hoc iuuat ingredi,
Cuius iam ueneror fronte silentium:
Seu fons purus aquis ille sonantibus;
Ad se nos prius expetit ·

H ic en illa feram, quæ fidibus tibi
Iampridem cupio iungere carmina,
Quæ, fallit nisi me nunc Animus, leuent
Aegram sollicitudinem.
Quæ desyderio te patris optimi
Affectum retinens, ipsa quiescere
Non unquam patitur fusa perenniter
Artus usq; per intimos.
E t quis non grauiter perpetuo ferat
Iacturam capitis, quod foret omnibus
Et præstans adeo, tamq; reduceret
Virtutum solidum Decus.
Quis mortalibus hanc Numinis abditam
Lucem non doleat? Quæ speciem Deum
Secum nescioquam ferre tuentibus
Cunctis indicium daret.
V erum utcunq; graues dura reuoluerint
Nobis fata uices, quas lachrymis nihil
Immutare queas, est aliquis tamen
Solandi miseros modus.
V el te, præcipuus quem dolor attinet:
Cui tristis merito Pectoris intimum
Semper cura recens dilacerat, neq;
Vllo tempore deserit.
H unc ergo gemina nunc acie parum,
Qui circum tenuis uoluitur, Aethéra
Contemplator, et hinc suspice, quam potes,
Aeternam superum domum.

Illhinc,

Illhinc, ut perhibent qui propius Deos
Attingunt Animis, Aethercam sciās
Mentis sydereæ particulam dari
Labis corporeæ oblitis ·
Quam, donec minimum libera uinculis
Humanis fuerit, siquis et integram
Seruare et uacuam flagitiis queat,
Huic tandem facilis patet
In cœlum reditus, quo solitum loco
Aeuum perpetuo cum superis agat,
Qua per sydeream lacteus enitet
Mundo circulus orbitam ·
Hæc sedes pariter continuo piis
Decreta est, sed eam præcipue colunt,
Siqui pro patria mentis acumine
Quæuis gnauiter egerint ·
Hanc ergo ut tenuit protinus emicans
E putri genitor mole beatior,
Tum qui pro meritis talibus antea
Illhuc intulerant pedem,
Omnes cœlicolis plaudere reddito
Pro se quisq; student, et medium sacro
Ipsum concilio restituunt, ubi
Nectar perpetuum bibat,
Quod tantum superis ducere contigit,
Aut iis, qui similes se superis ita
In terris statuêre, ut penitus graue
Detrectare iugum queant ·

F elices Animæ, quis hominum modo
Suspexisse datum est altius, ut sibi
Non solum, at Patriæ se quoq; et omnibus
Natas esse putauerint.
I nter quas Animis ille benignior
Cunctis extiterat, dum propius fuit
Nobis, syderibus nunc magis omnibus
Sydus conspicuum nitet.
H æc sunt quæ breuibus Iule resumere
E multis potui, sed quoniam super
Sunt plura, et pariter nos modo surgere
Inclinans monuit Dies,
T u quod subsequitur, nam potes, his graui
Annectas studio, sicq; putaueris
Nil abs te fieri sanctius, ac Patri
Te sic esse simillimum;

AD VRSINVM POLENSEM
PRAESVLEM PVERI
CANENTES.

ODE. XIIII.

S Alue Vrsine recens Historiæ decus,
Qui scriptis Venetam rem decoras tuis,
Seu terra, egregius, siue gerant Mari,
Pacem, et prælia dicere.
A d te nos Alacres Pieridum Chorus

Pimpleo uoluit mittere uertice,
Vt sedem meritam, quam tibi dedicant,
Nostris iam numeris scias.
T u scriptis medius grandiloquis Titi,
Et Crispi propriis, iudice Apolline,
Sic utrunq; refers gratus, ut omnium
Veracem sequeris fidem;

AD LEONICVM THOMEVM IN ANDRELLEM ET BRENTIVM DEFVNCTOS, HVNC EXTRA PATRIAM. ILLVM IN PATRIA, SED VIOLENTO ICTV INIMICI.

ODE. XV.

q Vo me uix lachrymis loqui
Conantem reuocas docte Leonice?
Vt qua iam solitus lyra
Lusus in iuuenes ludere uirginum,
H ac heu dura sodalium
Lugenti moduler funera Naenia.
Quondam flebiliter canens
Aequales teneris ponere compulit
S appho uerticibus comam:
Dum carae Libitinam celeres nimis
I niecisse manus dolet

Timadæ: Iuuenem hæc nuper amabili
Nodo nexuerat pium,
Et nunc ipsa pari saucia uulnere
Et Tædas et Hymen parans,
Sperabat fore felicius omnia.
Cum illi Parca fugacia
Velox colligere stamina, turbidæ
Furuum Persephones Thorum
Fulgenti Thalamo prætulit inuida.
Quid mirum faciles nurus
Expressa Aeolio carmina Barbito
Mouisse, è propriis feras
Siluestres trahere blanda cubilibus.
Non nobis ea uis, neq;,
Quanquam sub tenero pectore nobilis
Virtus occidit, et labor
Immensus referens iam prope præmia,
Luctu possumus hanc leuem
Saltem quo uolumus flectere uoculam.
Sed quis uos iuuenes satis
Digne ornauerit? heu quis lachrymis satis
Tunc indulgeat? ut graui
Ictu te lacerum uiderit Atticæ
Linguæ non modicum Decus,
Caris ante diem rapte parentibus
Andrelles patriæq; . quis
Non iam firma parum duxerit omnia
Humana, et lachrymabilis

Fortunæ miseris subdita casibus?
Qui Brenti te Animam procul
Ab dulci Patria tacte uirilibus
V ix annis, uiolentius
Efflasse audierit Pieridum sacram
G raiarum ac latialium
Et morum pariter nobilium domum.
H eu mortalibus optima
Vt raptim fugiunt, uiuere qui cupis
F elix, credere desinas
Humanis nimium conditionibus;

AD PANDVLFVM MALATESTAM PRINCIPEM.

ODE · XVI ·

Grandes referens Auos imago
o Gentilis proprio indolis decore,
Virtuti quoq; patriæ superstes
Spes, et exoriens decus tuorum,
Pandulfe, en tibi quantacunq; Neruis
Conatur mea Barbitos sonoris
Offert se, nec habet magis quod optet,
Quam siquid tibi, mulceat quod aurem,
Interdum moduletur, et quod atras
Siquæ sint, ualeat leuare curas.

Si tanto tamen hæc potest honore
Dignari Superum annuente rege,
Vt non nil pariter iuuando prosit.
In te non alia licet feratur
Gratia, nisi qua fidelis olim
In Persam Dominum manus potentem:
Quæ cum nil aliud ualeret, illi,
In promptu quod erat, uerenter undam
Haustam Fonticulo obtulit propinquo.
Quod Rex non mage uilitate Munus,
Quam rem ex animo atq; Mente prorsum
Metitus, pariter recepit, illum
Affectum bene, qui dedit, remittens.
Qua freti ratione tum Corollis,
Tum Pomis quoq;, uilibus'ue libis
Magnos agricolæ Deos adorant.
Nec fas est dare pauperem, quod ultra
Si det, est graue: computant et ipsi
Tunc census Hominum, nec est probata
Res diuis magis ulla, quam uoluntas.
Hanc autem tibi iam diu dicatam
Præ me carminibus fero, sed hæc sint
Num illi consona, quem uelim, Decori.
Expecto dubius quid ore librent
Docto, qui facilem colunt Mineruam;

AD

AD VENEREM.

ODE. XVII.

Vid mihi tecum Venus esse dicam?
q Quæ nouo rursus iecur igne tentes,
Septimum cuius properauit Aetas
Claudere Lustrum.
D esinas quæso, Glycere sat ipsa est
V na, quo memet meus urat Ardor.
E t mihi nil est reliquum, quod alter
Occupet Ignis.
I lle mi totis furit in medullis,
N ullius supra uenientis Vndæ
I mpetu sperans minui, nec ulla
Crescere flamma.
T u modo firmum, propriumq; faxis
M unus id, quo iam satis et super me
D iua ditasti, nihil est, ut ultra
Amplius addas.
Quin tibi nodo religatus uno,
A rctius multo, propiusq; semper
H æream, quam si uarios in usus
Differar idem;

AD GLYCEREN.

ODE. XVIII.

S Edebat alto pectore iandiu
Curis solutum cor Glycere mihi,
Vitamq; partitum per Artus
Corporeos uacuam ferebat.
D onec Venustis de superis tui
Cœlestis oris perpetuum decus
Huc se per ardentis ocellos
Imperiis grauibus recepit.
Quis illud actum continuo meum
Cor me relinquit, sedeq; nudulum
Prima euolat mox se beati
Pectoris in gremium recondit.
I llhicq; tecum quin adeo potest,
Paulatim ut Almo depulerit tuum
Cor dulce templo, quo meus nunc
Spiritus ipse sedet sacerdos.
A t exul illhinc id simul ac mihi
Inane sentit pectus, amabili
Festinat ingressum uolatu
Tam modicis, uacuisq; Nidis.
H inc ille nobis mutuus est Amor,
Hinc sensus unus, quo Glycere modo
Pendemus hærentes, et alter
Viuimus Alterius sub Aura;

AD SEPTIMIVM ET FVSCIVM THOMEVM, QVANTIFACIAT F·PETRARCAE POEMA.

ODE · XVIIII ·

Eptimi et Fusci ueterum ac recentum
s Impari lingua cælebres Poëtæ,
Et mihi multum unanimi sodales
Pectore iuncti,
L ene deductum, lepidumq; carmen
L ydii Vatis Dominam canentis
L auream, num uos moueat parumper,
Scire laboro.
M e quidem, cultum quotiens uolumen
I llud est sumptum manibus, perenni
E t noua quadam totiens legentem
Detinet arte,
S eu per affectus animum potentis,
S iue per miram speciem moratur,
S iue detentum dominæ beatis
Moribus explet.
I nter et primos adeo uidetur
I nseri uates uoluisse, ut ullis
Quippe, uel paucis merito secundum
Esse negarim;

AD FVSCIVM THOMEVM, QVAM FELICES SINT, QVI RELI=ctis cæteris curis, se musis dedunt.

ODE. XX.

Felix ter et amplius ille,
Quem nescia curarum mens potest
Nectere leuibus Pieridum choris.
Neq; honustum multa merce alto
Committit pelago, neq; medias
Per cædes uadentem aduersis
Hostibus opponit truculentis.
Dudumq; minus populari Auræ,
Regumq; inhians opibus musa
Secreto tenuem accipit antro.
Vt iuuat hunc pede tangere solido
Paucis peruia loca, et audire
Insolitas uoces, ac uultus
Diuorum prope et ora tueri,
Iamq; oriri et crescere uatem
Ad bene memores usq; Nepotes
Venturum ampla laude superstitem.
Qualem te modo uidimus omni
Sollicitudine fusce solutum
Fluuii ad Permessi secessus
Impliatum Choreis musarum.
Dum illhuc saucius et male firmus

Vix haustum ueni ipse salubres
Lymphas, Animæ quibus extinguerem
Ardores, et abluerem quod mihi
Amor impressit uulnus, Amor, qui
Acrius ubi me solito corripit,
Festinans heu totas huc faces,
Atq; pharétram congerit únius
Vultus Glyceres innixus ope;

SVSCITAT LYRAM AD AMORES PHOEBI CANENDOS, inter quos Coronidis amorem narrat, et Esculapii ortum et eduationem, quē optat nunc uiuere, ut ei ægrotantem Glyceren committat.

ODE · XXI ·

q Vis nouæ tantus mihi mentis ardor
Incidit? Quidnam meditare mecum
Grata testudo uiridi sub umbra
Dulce referre?
Hic locus certe taciturnus undas
Propter inuitat uitreas, et omnes
Eoe uentosi cecidere passim
Murmuris Auræ·

E t mihi Phœbum tenuem per Auram
C ernere ex alto uideor, quid ergo?
A n ne Phœbeos moniti canemus
Forsitan Ignes?
V t leuem cursu celeri secutus
A nxius Daphnen retinente Dextra
P enè: præduro doluit fugacem
Cortice cingi.
V t graues illi Clymene dolores
S ustulit natum Phaëthonta, ut ipse
P auit Admeti pecudes agresti
Tectus Amictu.
V t suos iræ impatiens proteruæ
A cribus fixit iaculis Amores,
V tq; detecto dedit Ales index
Crimine pœnas.
N am deo quondam simulans amanti
D etulit lingua uolucris loquaci,
A lter ut grato in gremio teneret
Forte Coronin.
V oce qua Phœbo solitus nitenti
E xcidit uultu color, et superne
S emper optatam speciem uideri
Exuit omnem.
Quin manu excussæ Citharæ decentes
L eueq; Plectrum digitis, et ipsa,
H eu nefas, laurus capiti decoro
Lapsa pependit.

A cre tum cornu solidumq; flexis
P ronus incuruat genibus, superq;
A ptat extento A rcitenens acuta
Spicula Neruo ·
M ox et intendens oculos, in uno
H æret obtutu; miseræq; pectus
T raiicit, sancto totiens quod ante
Presserat ore ·
N on leue exemplum, ut maneant puellæ
V sq; promissis, fidei nec unquam
T ermino aberrent, statuit prius quen
Cunq; Cupido ·
V ltimos ergo gemitus ab imo
C orde confosso dedit icta, supplex
I nnocens nequid pateretur infans
Matris in Aluo ·
T um grauis circum inualidos repente
C orporis sensus requies oborta, et
S emita infernas Animæ reclusa est
Dura sub umbras ·
A t Deo tristis simulac imago
I mpie nati pereuntis unà
A tq; respersi subiit peremptæ
Sanguine Matris,
I llico sæue nimis expetitæ
P œnitet pœnæq; necisq; amantem,
S eq; , tam promptas uolucri quod Aures
Præbuit : odit ·

Quid ſequens dicam? Medicas ut artis
S æpe tentarit, trepidanſq; fruſtra
I pſe fomento incolumem ſalubri eſt
Reddere nixus.
A ut ut immenſi memorem doloris
I ndicem priſco ſpolians Nitore
I nter albentis uetuit uolantes
Viuere coruum.
A ut ut exemptis lachrymis acerbo
F uneri, extremum quod amans ualeret,
I uſta perſoluens, gemitu ſupremo
Cuncta replerit.
I lle et ereptum lacero parentis
V entre Chironi puerum ſub alta
A ntra tum uitæ celebri magiſtro
Miſit Alendum.
Qui ſimul caro teneris Alumno
N exibus linguam ſenior reſoluit,
I mbuit primum leuiter uirili
Pectora ſenſu.
I nde mox illi ualidas potentum
L ætus herbarum Fruticumq; uires
O mnium, et totum penitus medendi
Protulit uſum.
N anq; morborum perhibent latentes
R ite cum ſignis docuiſſe cauſas,
Quaue mortales ope læſa poſſent
Membra leuari,

S iue opus ferro foret ora putris
V lceris scindi, fragiles uel artus
E rigi, lento'ue patens foueri
Vnguine uulnus.
S eu forent fessis grauiter, priusquam
F eruerent æstu interiore, danda
Quæ salutari resoluta miscent
Pocula succo.
H inc ad occultas reserasse fertur
S emifer uoces aditus et illum
S æpe per sacras Magica tulisse
Carminis artes,
I am quibus fretus Iuuenis potenter
N on modo affectis opifex adesse,
S istere et fatum ualuit, sed intra
Limina quondam
A usus horrendi penetrare læti,
I nde mortalem scelerum nouercæ
A rte discerptum rediens Auaro
Abstulit Horco.
O mihi siquis deus annuisset,
V t uel expertus pater ipse Chiron,
I mpotens uel Phœbigena hoc sub æuo
Duceret annos,
Quas preces supplex manibus supinis
F underem, uel quis grauibus tenerer
P rotinus uotis, utriusq; sanctum
Numen adorans,

V t meæ ſæuo quotiens dolore
A ngitur præſto dominæ benigni
A fforent, quo tunc fugeret reuulſus
Corpore languor.
Qui ſimul torquet miſeram per omnes
F ertur heu repens uelut Anguis artus,
A tq; mox cunctos populatus aufert
Pectore ſenſus,
H ei, mihi quo tunc Animus labantis
V ictus inſpecta ſpecie recedit,
Quo mihi defecta abeunt relicto
Membra uigore,
S ed ſatis, nam me lachrymæ quod ultra eſt,
I am meæ fari impediunt, mihiq;
P enè ſingultu ſubeunte uocis
Clauditur uſus;

MARTIO ANTONIO PASTIO VERONENSI, CAVSAS REDDIT, CVR DIVTIVS PATAVII MORETVR·

ODE· XXII·

a N toni quoniam Patauii ceſſare ſub urbe
I am nimium uideor,
A ccipe quæ ualeant hic me per cuncta morari
Tempora

Tempora iure ſuo.
H uc ego digreſſus uix è puerilibus annis
Patre iubente adii,
Quo primum teneræ legi mihi cara ſodales
Pignora amicitiæ.
Quos ſuper adiunxi grata quoq; lege fidelis
Seruitium dominæ.
T um ueterum a primo conſueui tempore mentem
Excoluiſſe modis.
A n pauca ingreſſus uideor, ſtudiumq́;, et Amorẽ,
Atq; ſodalitium?
E quibus unũ unquã ſiquis mihi dempſerit, ambos
Dempſerit ille oculos.
Quantum eſt ingratas animo deponere curas
Dulcibus Alloquiis,
A ut cum prudentis ſocios conuenimus, aut cum
Lenibus accipimur
B landitiis grate Dominæ, quibus omnia nobis
Eſſe minora putes.
I llud et eſt quantum quodam tenus iſſe, nec altã
Extimuiſſe uiam,
Qua tantum ſubeas, ut uulgus inaniter infra
Repere deſpicias.
H æc ſunt quæ longe a patria: dulciſſima quãuis
Sit: retinere queant;

AD. L. CAMPANVM CAMPVM, QVOD NOLIT AMORIS VINculis irretiri, uel si id omnino affectat, eam saltem Dominam inueniat, quæ iis conditionibus prædita sit, ob quas perpetuo ametur.

ODE. XXIII.

A etius uitam perages Amice
l C ampe, si nullis teneare uinclis,
Quæ parum cautis Animis Cupido
Tendere sueuit.
D ulcius curis nihil est solutis,
E t nihil contra grauius putandum,
Q uam uago obducta inuolucri súbinde
Mente teneri.
S i tibi cordi tamen hoc, et una
H æc tibi insedit penitus uoluntas,
L iberum dedi caput, et sub Arcta
Vincula mitti,
H anc tibi saltem Dominam parato,
Quæ iugo tecum parili feratur,
S eruitus cui nec grauis esse possit,
Imperiumq;.

Quæ

Quæ nihil præ te cupiat, nihilq;
A lterum quicquam uelit, atq; soli
H æreat semper tibi, semper abs te
Pendeat uno.
E t tuis unis oculis ab ipso
C orporis toto habitu placere
D estinet, cunctis aliis uel una
Displicitura.
A uream quæ si speciem pudicis
M oribus uitæ melioris ornet,
P ræter hanc nolis aliud, nec optes
Pectore toto.
O mnis ac illhinc tibi sit uoluptas.
C ur enim iactent homines inanis
D iuitum curas mihi? cur honorum
Debile Munus?
I llud hoc unum est animans, quod olim
P rotulit compar Deus ipse nobis,
Quod uiris solum bona cuncta secum
Ducere posset;

CONSOLATVR P. GLYCEREN, NE TANTOPERE ORIVM CATV lum uita functum fleat, cum ille ad Elisios campos inter egregias Virgines uersetur.

ODE. XXIIII.

O ctarum Glycære gloria uirginum
d Iam tandem lachrymis pone modũ tuis,
Humentemq́; oculis desine turbidam
Nubem tendere lucidis.
Ah quanuis Catulus flebilis Orius
Non æqua ad superos desierit die,
Perstringes placidi pectoris halitum
Duris usq; doloribus?
Non hoc ille piis sedibus additus,
Non uirtus tua, non quæ uelut aureis
Inserta irradiat Gemma monilibus,
Pulchro corpore castitas,
Non hoc Elisiæ Blanditiæ uolunt.
Quas illi in tenero gramine, dum fugit
Diram Pasiphaën, exhibet anxia
Casto Penelope sinu,
Vnde in Purpureo flore reconditus
Illudit tibi, quæ Vatis amabilis
Facta es carminibus Laura recentibus
Aeterno celebris die.
Hinc Sapphò Aeoliden, hinc lyricam petit
Muscam, dum Dominæ persimilem sagax
Quærit, nunc tacitum Blandulus insilit
Infernæ gremium Deæ;

AD ADOLESCENTES ET PVEL= LAS, VT CONNVBIIS INCVMBANT ·

ODE · XXV ·

Vndum principio Deus
m Ornatum uaria lege Animantium
Vt primum inſtituit, uago
Impleuit generis cuncta cupidine ·
A c quaſdam, uelut abditos
Illis igniculos, illecebras dedit,
Quis capti, ſimiles ſibi
Dum quisq; ediderit, ſtirpe ſubaddita
I mmenſos traherent dies ·
Hinc nullo ſua diſcrimine gaudia
C omplebant ſociales palàm ·
Nec norat genitor dulcia pignora,
E t natum latuit pater ·
Hinc rixæ miſeris non ſine cædibus,
H inc mille ſcelerum modi,
Cum ſæpe e patrio ſanguine filius
P œnas ſumeret, et pater
Nati in uiſceribus pollueret manus ·
A t prudens ſimulac rude
Humanum Aetherea ſede Thalaſſius
I nuiſit genus, illico
Viderunt homines impia crimina

D etectis oculis, quibus
Immixtus pietate emicuit pudor.
H ic gratam Iuueni, sacro
Vxorem, ac stabili connubio dicans,
P rimus prodidit inscijs
Quæ nati pietas, qui'q; parentium
A rdor, quam facili uiros
Vxores colerent lege, quid arctius
V rbes et populos simul
Deuincit, retinet, regna'q; principum
S eruans, ac inopum domos.
Ergo tam nitidis moribus, ac pijs
T otos uos iuuenes date.
Et uestris similes edite patribus.
V os lætæ quoq; maximi
Amplexæ Hymenis munia uirgines
R eddentis ueteres Auos
Felices sobolis reddite coniuges;

AD MVSAM.

ODE. XXVI.

V sa iam tecum satis hunc in Annum
m L usimus grata uacui camœna,
Quin parum cessas, tenues'q; neruos
Diua remittis?
D um graues imus Danaum per artes,

Qua pedem docti ueteres tulerunt ·
T am simul paruis humeris nequimus
Cuncta subire ·
I nde mox largis opibus priorum
F orsitan mecum grauior redibis ,
C um tibi graio uarius nitescet
Barbitus auro ;

AD PANDVLFVM MA
LATESTAM ·

ODE · XXVII ·

S Iquis forte Rosæ florem tibi cultor Agelli
Exigui dederit Pădulfe, aut cærea pruna,
Aut quæ secreta decerpserit arbore mala,
Hæc tu nimirum non adspernatus , aperto
Accipies uultu , tecumq; putabis Amici
Hos Animos ulla non sedulitate minores ·
Hac ergo impulsi spe , quas in uallibus imis
Aoniæ tenui collegimus ungue corollas
Mittimus , ut parui quæ possumus, utq; patentem
Repentes per humum : quod si dignabere sertis
Vincari modicis caput , et spiraueris ullo
Tempore scandenti dextro mihi numine collem,
Forsitan ipse sacro rediens è uertice primus
Incipiam lectas edera contexere lauros,
Aurea quæ semper uireant tibi tempora circū.

O mihi quid potius contingeret, o mihi felix
Ille dies, mihi cum tua dicere facta licebit
Macte tua uirtute, simul uirtute tuorum.
Nunc uero sat erit, si, quae, dum seria ludo
Miscuimus facili linquentes tenuia rerum,
Lusimus interdum, placida dignaberis Aure;

AD MVSAM. DE LAVDI
BVS GLYCERES.

ODE. XXVIII.

Vnc quoq; extremum Glyceren canenti
h Diua concedas Eratò laborem,
Dulce quae nomen retines Amoris
Sola sororum:
Siue Cyrraei spaciata saltu
Collis, altorum nemorum sub umbra
Lenibus circum fidibus silentem
Aéra mulces.
Siue Permessi uitreas ad undas
Fluminis, cantus referente ripa,
Molliter Diuum modularis ignes
Voce canora.
Ergo quas primum repetam pudici
Pectoris dotes? fidei ne sacrum
Vinculum, quod iam religata nonum
Nectit in Annum?

V inculum, quod nec minimum superba
S orte cuiusquam poterit resolui,
V inculum, quod perfidiæ nec ulla
Arguet Aetas.
A n ne quæ casto sedet ore nuda
V eritas illi, probitasq; semper,
A tq; iocundo pudor et uenustas
Iuncta lepore.
A n prius solers labor, atq; mentis
P rouidæ sensus referantur? et quæ
R ebus est illi in dubiis adhærens
Ardua uirtus?
A n modus, famæ metuens malignæ,
A n ne quæ simplex, et hians honori
S emper est concors famulata puro
Forma pudori.
Quæ'ue sic dulci mihi me rapina
A bstulit, nil ut reliquum superfit,
Quod meæ non ex dominæ benigno
Pendeat ore.
N anq; si fas est oculo quid unquam
F orte mortali superum uidere,
I d mihi quondam intuitu beato
Contigit uno,
V ersa cum sanctos, acies ad ignis
S yderum, læta quibus illa fronte
L ucidum fulget, nihil esse sensit
Pulchrius usquam.

I nde, quis credat, propius tuenti
C ertus in cœlum reditus patescit,
A tq; facturis iter illud, omni
Latior extat.
N anq; si tanta reliqui per omnem
L uce cœlestes aditum renident,
S ordidæ in terris Animæ quid ultra
Fata moramur?
Quin eo læti properamus? unde
S pirat hæc nobis leuis Aura, cuius
M irus inuitat decor, atq; aperta
Limina monstrat.
I pse quam longum fuerit super mi
V ita, diuinum iubar hoc sequendo
E ximar cæcis tenebris, et Atro
Carcere Liber;

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI CARMINVM LIBER SECVNDVS·

RESVMIT LYRAM, QVAM SVPERIORE LIBRO, A MVSA BREVIS TEMPORIS VENIAM PRECA*tus, dum ad græcos auctores se conferret, deposu erat·*

ODE· I·

N *uices gratæ redeuntis*
Anni,
Lege quæ diuum stabili
Iubente
Debitos terris referunt honores
Tempore certo·
C *oncipit uires genialis Ardor,*
E *t nouis æui iuuenescit horis,*
Q *uo semel moto exhilaratur omnis*
Concitus orbis·
O *cio num tu fidibus solutis*
D *editus fies mihi solus, et te*
F *orsan immundo paries habebit*

Puluere tectum
B arbite? haud ista mihi mente clauis
A ereis pendes, licet ipse pura
T e manu templi positum sub alta
Parte reliqui:
C um breuem dulci ueniam Camœnæ
I nterim paucis numeris petiui,
D onec ad Dites danaum recessus
Pauper adirem.
V nde rimanti penitus quod ultro
S e mihi ferret, leuiter receptum
I d tibi mecum rediens in usum
Omne referrem.
E n opes ergo quibus ipse posthac,
V t uoles, uti poteris beatus,
E n quibus noles aliis nitenti
Cedere cultu.
Quod nec audacter, leuius'ue dictum
C ogites, Nam tu nimium nec optas,
E t mea pro, quod satis est, uirili
Ipse paraui.
C umq; tu cuncta statuas pudenter,
I ure ne credas minimum decere,
Quod nec ornatu nimio, nec ulla
Sorde laborat;

AD IVLIVM ALEXANDRVM CAPELLAM, AB AMORE' DEHORTATIO ·

ODE · II ·

SIquid rerum Iule per usum
Expertus recte coniecto,
Quod uaticinari prudentes
Dixere uiri, en ego nunc Vates
Ab nimio hoc uultus pallore,
Deq; assiduo pectoris halitu,
Et titubantibus adeo uerbis,
Vesanam auguro forte aliquam tibi
Iam circum præcordia sensim
Repentem curam, quæ dura
Hac te uiuere conditione
Ipsa uolens cogit nolentem ·
Huic nisi tu principio gnauiter
Et forti animo obstiteris, frustra
Post ipse reluctabere, cum super
Ingestus turbarum cumulus
Te, quam ut ualeas ferre, ualentius
Premet, usq; adeo largior ingruit
Fons semel haustus sollicitudinum ·
Sed non ulla tamen magis acriter
Pestis uitanda est tibi, quam trucis
Subigi sæua lege Cupidinis ·

Hæc penitus defixa medullis
Internis, et mordicus hærens,
Non nisi primos pascitur artus.
Hæc et mentis nititur arcem
Tormento excussam illecebrarum
Perniciosis hostibus ingredi.
Quos ualidis conatibus alto
Deturbes solio est opus, et procul
Inde extrema in parte relégés.
Atq; ipsa dei quotiens improbi
Species obuersabitur oculis,
Auersus contineas uisum, et
Ne te fallax illius Aura
Falsis teneat blandiciis caue.
Interea quæ uerba salubriter
Olim, dum forte anxia deuium
Natum quæreret, effata est Venus,
Si uacat, Audi. O siquis Amorem
In triuiis errantem uiderit,
Meus est fugitiuus. pretium sibi
Index Basiolum Veneris feret.
Verum si ad me huc egeris illum,
Non solum tibi Basiolum uelim,
Sed multo plura habeas hospes.
Est puer insignis, tu propriis
Hunc cognosce notis, Nam corpore
Haud quaquam toto albicat, Igni
Assimilis, cui lumina flamma

Fronte micant acri, Mens est mala,
Verbulaq; olli suauia, nam quod
Loquitur non sentit idem, Mellea
Vox quoq;, sed cum incenditur ira,
Est fera Mens, fallax, fraudatorq;
Et mendax puer acria ludit ·
Crinibus intonsis caput ornat,
Osq; ferum, faciemq; proteruam,
Exiguasq; manus habet, attamen
Procul eiaculatur, et in luridum
Acheronta ferox usq;, nec ipsi
Curat Stygio parcere Regi ·
Membra quidem nudus, sed Mentem
Velatus, Auisq; aduolitans modo,
Corde uiri, Gremioq; puellæ
Insidet, ut spretis ita cunctis
Mente leui, curaq; ferantur ·
Sunt quoq; et Arma illi, exiguoq;
Ferit Arcu, paruaq; sagitta ·
Parua sagitta quidem, sed et altum
Aethéra sæpe petit, sed et ipsum
Sæpe Iouem, proprio qui numine
Summumq; polum, et sydera torquet ·
Parua Pharétra Humeris dependet
Aurea, et intus amari Calami,
Quibus hic me quoq; matrem sæpe
Sauciat, omnia sunt sæua, omnia ·
Multoq; sibi est sæuior ipse ·

Fax modica est, superat tamen illum
Quo clarent penè omnia, Phœbum.
Ergo hunc si capias age uerbere,
Neq; tu miserare, ac si flentem
Aspicias fortasse, caueto
Ne te decipiat. si arriserit,
Magis attrahe. si suauia uellet
Ferre tibi, fugito. sunt noxia
Oscula, et ipsis sparsa labellis
Toxica. si tandem tibi dixerit
Hæc cape, nempe tibi hæc mea cuncta
Largior Arma lubens, nequid tu
Contigeris, fallacia munera
Hæc speres, nanq; omnia Amoris
Sunt ardenti infecta ueneno.
Sic dea, quanuis ipsa parens foret,
Multa diu conquesta est quærens,
Donec latitantem illum, et multum
Ambustum face propria comperit
Nescioquam complexum Psychen,
Quam, Matris præceptorum immemor,
Ne cui scilicet unquam uellet
Se Vinclo sociare iugali,
Vxorem optarat sibi, iam'q;
Inde pater natam susceperat,
Quæ quanquam semper Mortalibus
Aegri non nihil afferat, iis tamen
Dicitur Ampla uoce uoluptas.

Hæc est

Hæc est quæ falsis, et leuibus
Munita bonis ægritudinum
Cupidis Animis insidiatur ·
Quam semper ueluti dominam pater
Assiduus comitatur, et illius
Dura stimulos acuit cote,
Quis agitata nequit mens ullo
Fine regi, sed lapsa refertur
In pectus, nullisq; tenetur
Virtutum uinclis, quibus ego te
Iule uelim adstrictum, leuiumq;
Immunem sic ducere uitam
Curarum, uacuamq; laborum;

CONATVR NICOLAVM SCHO LAMPATAVINVM ABSEN TEM, ET ALIAS RES AGEN TEM DOMVM, AC AD DI SCIPLINAS, QVAS CALLET, RE= DVCERE ·

ODE · III ·

S æpius de te querimur, quod absis,
E t diu cesses Schola, uix ut ultra
I am tui desyderium morantis
Ferre queamus ·

H ic locus nam quid iuuat, et quid his te
R ebus indignis animum fatigas?
A ltius quo non alius profundum
Aethéra posset
S candere, et cunctos nitidi subire
O rbis amfractus uagus, et liquentum
Ignium solers penitus latentis
Quærere Causas.
N ec magis quisquam potis esset, oris
S piritu grato grauiter referre,
Quæq; perpendis, pariterq; magno
Pectore promis.
S iue terrarum, pelagiq; longos
A mbitus tecum studio recenses,
S iue metiri numero carentis
Pergis Harenas.
S ordidis ergo, cupidisq; rerum,
Quiq; uicturi satagunt, et ullo
V iuere ex uoto nequeunt beati,
Ista relinque.
N am satis quondam puero benigne,
E t manu larga superi dederunt,
V nde, quo posses sapienter uti,
Esset abunde.
A dde quod tempus placidæ quietis
I nstat, ac istis inimica curis
A nxius ætas properata serum
Vergit in Aeuum.

Quin

Quin tibi curſu propiore tandem
Aureæ portus petitur ſalutis?
Lætus ut hoc, quod ſupereſt, ſecundo
Tempore uiuas;

AD HERMOLAVM BARBARVM · P · VENETVM, IN DIOSCORIDIS TRADVCTIONEM.

ODE · IIII ·

St repens pedibus paruus humi Leo,
e Quod uernis Animal flatibus, et leui
Tantum ueſcitur Aura,
Hermolae coloribus
Contectum uariis, nam penitus refert
Quoſcunq; attigerit proxime. At eſt quoq;
Huic cognominis Herba
Terræ uerſicolor ſuæ,
Siue hæc Cyaneo, ſeu uiridi fore
Illam, uel croceo tegmine iuſſerit.
Hæc ſed cuncta potentis
Naturæ prope ludicra.
Quid tu? Qui propriis uiribus, et graui
Verborum ſerie grandia ſtirpium
Sic miracula promis,
Gemmarumq; ualentium

Manes penè cauo demere Tartaro.
His quam perspicuo, nec tenui tamen
Discrimen facis ore.
Illas ut bene frondibus
Et Ramo et foliis et floribus explicas.
O fœcunda Animi copia. Quod tibi
Narratur, simulatq;
Doctorum uenit Auribus
Perceptum, hoc adeo non simile est sibi,
Vt se sic oculis protinus indicat.
Talem Protea quondam
Passum uincla tenacia
Pastori species mille putauerim
Induxisse nouas, horribilem feram,
Ignemq;, fluuiumq;
Dilapsum in tenues Aquas;

AD HIERONYMVM BONONIVM, NIHIL ESSE PRETIOSIVS TEMPORE.

ODE. V.

n Vlla maioris pretii supellex
Temporis paruo fugientis usu
Contigit nobis Superum benigno
Munere Diuum.
Qua frui siquis scierit Bononi,

I lle præcurrens opibus potentis
D iuites, solus poterit beatam
Viuere uitam.
S eu diu semet stabilem, aut caducum
C ogitet, nam quid sapiens putabit
E ssè momentis trepidantis horæ
Carius unquam?
T emporis prono simulac abuti
P arcius cursu statuet, quod inter
M ulta, quæ nobis aliena, nostrum
Extet id unum.
C uius immensæ penitus rependi
V lla iacturæ nequeat facultas,
N on opum, non quos popularis Aura
Iactat, Honorum.
E rgo ne cesses sapienter unà
H oc opus planè properare mecum,
N equis euadat tibi punctus Aeui
Segniter ullus;

AD MVSAM, IN PETRI BEM BI. P. VENETI LAVDEM.

ODE. VI.

e Cquod Diua Corollis
Istis floridulis tuis

Dignum nunc statuis caput?
Cui tantum in tenero sinu
Nunc Myrti, ac Ederæ foues?
Istis cui manibus sacris
Tantum nectis odorum?
Nunquid forsitan hæc meo
Bembo serta uirentia
Dulcis Pieri præparans,
Nascentem quoq; ad ipsa
Incunabula tendis
Exornare poëtam?
O quam principio indolem
Præ se mirificæ tulit
Ille, cum patris optimi
Nuper carmine turbidam
Ausus tangere mentem,
Admouit solidam ori
Heroi sonitus Tubam.
Vel cum sæua Cupidinis
Longum uulnera pectori
Affixa indoluit suo,
Quod æternum Elegis foret
Duræ pignus Amicæ;

PRO · N · FRANCO AD ALPHON SVM RERVM HISPANI arum scriptorem, post captam de infide= libus Vrbem Granatam ab inuictissimis Hispaniæ Regibus ·

ODE · VII ·

St opus dignum pretio, Minora
e Quæq; spernentem, nihil haud superbũ
Aggredi, et magnas nisi res potenter
Sumere agendas ·
S éq; post offert merito secundis
L audibus, qui iam benefacta puris
I mprimens scriptis, eadem perenni
Dedicat Aeuo ·
Qualis Alphonse propriis inisti
G entis Hispanæ calamis honores
N uper, et regum merita decoros
Laude triumphos ·
V t uiris urbem, studiis'q; Belli
A speram, et multis aliunde sumptis
E t suis sese decimo tuentem
Viribus anno
R egius tandem uigor, atq; uirtus
B ellica, et prudens superarit Astus:
I am quibus sanctæ fidei rebellis

Quisq; pauescit.
V t tot ex una Hesperia potentum
P rincipum late populi uolentes
S igna diuersi sequerentur uno
Nomine Regum.
V tq; Mendocæ Duo tum ualentis
R oboris summis opibus frequentes
I uuerint, tum consiliis, subinde
Castra secuti.
D eniq; ut nobis aliquando nomen
P erditum tanto retulit Trophæo
S acra maiestas, docuitq; Victos
Vincere posse.
H eu pudet quantas tulimus referre
I andiu clades miseri, et quod ignis
I lle Turcarum opprobrium perenne
Dirus inussit,
C um pias quondam uiolentus urbes
A bstulit cunctas Danais, et ultra
I mpius Flammas Italas ad usq;
Protulit oras:
Quem neq; extinctum, neq; se mouentem,
P erfidi sed iam uomitum furoris
F orte spectantem cohibebit unus
Victor Hiberus.
N am simul sanctos superum fauores
H ausit, ut gentis adeo feroci
P ræditas cultu domitare tanta

Quiuerit Arte,
Hunc quis ad cunctos dubitet furentum
Impetus ire oppositum mereri,
Summa cui rerum bene cedat omnis,
Imperiumq́;?

ADNICOLAVMPASSERVMPA TAVINVM: EVMRECTE BEATVMDICI, QVIVI. TAFVNGITVR QVIETA.

ODE. VIII.

O lis Passere mollibus
Quenquam deliciis, aut opibus leuem,
Vel quod credulior sibi
Insanis inhiet semper honoribus,
Iam felicibus hunc, uelut
Immunem miseris sortibus, inseri.
Nam siue undiq; sordibus
Angustis premimur, seu nitidi sumus
Reges, nescioqua tamen
Vrgemur pariter sollicitudine.
Quod si in propatulum suis
Quicunque explicitis conditionibus
Optandi dederit uicem
Cuicunq;, ut libeat, summaq́;, et infima,

C unctorum simulac bonis
I mmixta exiguis tot mala senserint,
E t purum penitus nihil,
Mox omnes uideas sorte domum sua
C ontentos petere, et graues
Q uoscunq; ingenita peste relinquere.
F elix qui solida potens
Q uamprimum requie, nec caput anxiis
I n rebus posuit, ne q;
Plus æquo placidus arduus extulit,

AD SEMET ADHORTATIO.

ODE. IX.

E rge, quid cessas? patet hoc aperto
P rotinus cunctis iter, ut uolentes
I mus, et nosmet properamus æquo
Sistere Campo.
A tq; si moles prius obstet ulla,
Q uominus iam tum uidearis apte
I ngredi, ne tu tamen abstineto
Promptius ire.
H anc enim mox cum superaris, illhuc
V eneris, quo non alius patescit
P lanior nobis locus, atq; callis
Latior ullus.

Qua per Apricum nemorum Vireta,
Per'q; florentum medios odores
Laetus ad sedes superum beatas
Leniter ibis.
Nam semel pressis, et humi relictis
Noxiis curis, erit Aequa posthac,
Quae tibi forsan poterat uideri
Ardua, uirtus.
Vna quae cunctos aditus recludit
Asperos nobis, faciles'q; reddit,
Quae'ue mortales super astra prorsus
Vna reponit;

PVER PRO CIVITATE TARVISINA AD CARDINALEM GRIMANVM.

ODE. X.

Iuae quae lauitis comam
d Puro Castaliae Rore, nec alteri
Quam Phoebo sinitis sacrum
Contingi laticem, ducit amabiles
Dum uestros medius choros,
Vel cum fatidicis plena uolens suis
Miscet pocula Vatibus.
Nunc primum teneris ingredior puer,
Si fas est, pedibus nemus,

Vestrisq; admoueo fontibus oscula,
F retus quo ualeam meas
Tanto primitias edere principi,
I sti, qui licet omnium
Splendens Pontificum præniteat decus,
V tcunq; has tenues tamen
Nunquam (quæ grauis est ipsius Aequitas)
A spernabitur Insolens.
Ergo cui pariter Maxime Principum
V irtus unanimi gradu
Fortunæ subit, et fertur, et omnia
A equali uice temperat,
Salue, nam prius hoc Aonidum chorus
I n tanta tibi deditæ
Vrbis lætitia dicere postulat,
D ehinc ut quam stabili tibi
Intexant seric stamina Virgines,
Quæ fata ad superos neunt.
Nam tu cum uario multa peregeris
D octrinæ studio diu
Sublimi ingenio functus, et hac graui
M ortales ope Iuueris.
Hinc uitæ ingrediens mox iter alterum,
H umanum ut foueas genus,
Patrum consilio et munere Maximus
F ies perpetuo Pater,
Omnis cui merito pareat, et libens
O mnis quem ueneretur, et

Quem uere solidas continuo uices
Illius gerere autumet,
Qui cœlo ut superis singula prospicit,
Sic mortalibus omnia
Aequa pro meritis lance reponderat;

AD CASSANDRAM FIDELEM VENETAM, VT SE AD HISPANIARVM REGINAM LIBENTER CONFERAT, ADHORTATIO.

ODE · XI ·

Na nimirum Series Fidelis
Rebus est concors superis, et imis,
Qua simul cunctus uariat, simulq;
Conuenit orbis ·
Quæ licet paucis soleat patêre,
Hanc potest plene tamen intueri,
Quisquis attente propiora nobis
Pensitat Aequus ·
Sæpe nonnullos adeo sub uno
Dispares tecto uideas, ut illos
Inter immensi mediam putaris
Aequoris undam ·
Alteros forsan simili propinquos

M ore, sed toto penitus remotos
O rbe, uis fati parilis uolentes
Coget in unum.
H incq; tu nusquam Hesperiæ potenti
V isa Reginæ cupide uocaris,
S umma nam uirtus utriusq; summo
Consonat astro.
I lla regalis specimen decoris,
O mnium quot sunt simul, et fuere,
A c erunt unquam Aetherei sub amplo
Culmine tecti.
G rata tu Diuis et Amica Musis,
V irginum splendens decus eminentum,
P erditum longo reuocans ab Aeuo
Vna reducis.
E rgo quod felix tibi sors benigne
R egis offert manibus, uerenter
S ume, et in tanto Superis habeto
Munere Grates.
N anq; uix illhuc uenies, et Almam
S enties terræ speciem beatæ,
M ille cum lætum tacite subibunt
Gaudia pectus.
N ec tibi speres breuibus referri,
Quæ mihi in mentem ueniunt notata,
M ulta dum Franchus memoranda dulci
Ore recenset.
Qui semel summi uenerandus illhic

P atris orator, meliora quæq;
M ente scrutatus, memori referre
Singula gaudet.
S ed nihil felix reputes benigno
E t graui regum magis et beatæ
S tirpis aspectu referentis omni
Indole reges.
Quo tibi quondam dabit ut fruare
N obilis Virtus tua, cum patebit
I n dies maior, peragente certo
Ordine rerum;

AD MARSILIVM FICI
NVM FLORENTINVM
IN LIVOREM.

ODE. XII.

B am forte; salubribus
i Qua Lymphis Aponus perfurit, anxius
Quæ tantum liquido ignium
Nais concipiat pectore Marsili
A eternum Sophiæ decus,
Seu uino tumeat sulphure, seu Nitro,
N igrantis'ue Bituminis
Interfusa graues æstuet halitus,
S iue hinc semita deferat
Vndas Tartarei fontis ad igneas

D iris peruia fontibus,
Heu tristis mihi cum belua Deuio
H orrenti subito specu
Visa est se celerem tollere, cui manus,
E t Frons, et caput, et pedes
Humani, reliquo corpore squallidus
S erpens inseritur uagis
Instratus leuiter tergora pinnulis.
H uic dextra geminæ faces,
Quarum mox ubi me contigit altera,
I nfesto sibi pectori
Crassantem subigit sæuius alteram:
A tq; istis, ait, ignibus
Hic me perpetuis ardeo, uiderim
S iquando meritis bene,
Nunquam læta nisi nobilium malis.
H is sic Attonito mihi,
Ambusto'q; hominum tunc genus excidit,
Qui monstro huic penitus dati
Despectant oculis omnia liuidis,
V t iam nil cupiam magis,
Quam tecum miseros effugere Inuidos;

AD

AD HIERONYMVM BONONIVM PETENS, VT QVAE RVRI COMPOSVERIT, EDAT ·

ODE · XIII ·

Vre quid nobis tot agens diebus
r Quod diu spiret referes Bononi?
Quos legis, quorum tibi summa semper
Copia, flores?
Arte cui doctis manibus magistra
Nectis hæsuram capiti Coronam?
Quæ tibi Halantes Pieris per Herbas
Læta ministrat?
Mollibus num te uiolis moratur
Hæc, an incumbit rubidis Rosetis?
Et leui ueprem folio latenter
Iungit Acutum?
Quicquid intexis uacuus, petenti
Dulcis imperti socio benigne,
Omnium tantos tibi qui recessus
Inuidet unus;

AD FVSCIVM THOMEVM DE IOANNE Laurentio Veneto ·

ODE · XIIII ·

s Vnt uera Fusci, quæ mihi de tuo

p

Laurente narras sæpius? ut graues
Virumq; curas, et Deorum
Consilio meditetur æquo.
I nterq; summos implacidum decus
Aestus honorum mobilibus iocis
Deducat interdum morantem
Collibus Euganeis Camœnam.
Qua lætus olim scandit in Aonas
Montis, et illhic uirgineos Choros
Inuisit Audax, et soluto
Castalium bibit ore nectar.
E rgo aut ferenti grandia dextera
Tractat potentum munera Principum,
Dulcesq; opum fructus honestæ
Consequitur segetis Beatus.
A ut atra fronti nubila differens,
Perfundit alto carminis, et lyræ
Ardore mentem, dein recepta
Pyndaricum mouet arte plectrum.
T um uero ceu cum nubibus arduis
Coactus imber constiterit notho,
Mox ingruit terris, ruitq;
Crebrior innumeris harenis,
S ic ille grandi turbine concitus
Viuacis Auræ, fertur in abditas
Regumq; laudes, et Deorum
Plurimus, atq; uirum per ora
D iffundit illos, et grauiter situ

Premente

Premente denso carmine uendicat ·
Quid? cum patenti Aluo fluente
Leniter, et uitreo liquore
Descendit acris per medias faces
Saeuae puelli matris, et igneos
Dulces Iuuentae secum Amores
Praeteritos uacuus recenset ·
Tunc omnis illi molliculus Iocis
Ridet uenustis in labiis Decor,
Et gratiae ludus, et omni
Implicitae Veneres Lepore ·
O quanta puri pectoris est fides,
Quam non medelae uulnificum patet
Telum, quod insedit medullis
Iam penitus teneris ab annis ·
Sic quondam Erichthei filia coniugis
Haerebat ardor pectoribus sui
Semper, nec unquam corde Procrin
Aeolides Cephalus mouebat ·
Quanuis Himeti uertice dum feros
Sectatur Apros, hunc male cognitum
Aurora, quadrigisq; raptum
In Gremio roseo Foueret;

AD IOANNEM REGIVM ·

ODE · XV ·

s Aepius Regi ueneratus aequa

Mente cœlestes precor, ut Benignum
Hunc diu uobis Dominum secundo
Sydere seruent.
Mox ut illius meritis honores
Debitos spectent semel, et fideli
Lancis æquatæ Trutina laborum
Præmia librent.
Nam quis, ut nosti, melius tot annos
Res piæ tantas fidei peregit?
Dum Patris summi Venetas ad oras
Nomine degit.
Mitto quot Romæ uaria negocii
Sorte distractus tulerit, referre.
Siue quæ quondam residens Hiberis
Vrbibus egit.
Et tamen cessant Homines benigne,
Quæ satis nunquam ualeant merenti,
Reddere, Ingratum genus, atq; iniqua
Mente ferendum.
Auguror sed iam prope tempus esse,
Si mouet ueris mihi Phœbus ora,
Quo moræ hos tantæ pudeat, iuuetq;
Damna rependi.
Nanq; Iam pastor sapiens propinquat,
Qui sacro longe remouens ouili
Desides, large pecus omne pascet
Frugiferentum:

AD

AD INGENVOS ET DOCILES ADOLESCENTES SVOS ·

ODE · XVI ·

q Vam uirtus nihil ardui
Præſtet : ueridico diſcite Carmine :
Quod nunc Pieridum ſacris
Vates ex Adytis profero uirginum ·
H æc Fati horribilem metum
Inſtantis minuit : ſternitur huic dolor :
H ac uincit labor omnia :
Nec feruens refugit tundere uiuidum
H ydræ multiplicis caput :
Sed qua ſe innumeris anguibus impeti
S entit : qui prope pullulant :
Hac inſtat penitus parte ferocior ,
D onec iam fera ſæpius
Victrix Herculeis concidat ictibus ·
S ic uos o Iuuenes mihi
Intentis operam nunc date uiribus ,
E t gratam ſibi ſinguli
Partem Viperei uerticis amputent ·
H ic Vatis ſubeat uicem,
Primas Syderei muneris occupans ·
A lter Rhetoris impleat
Humano officium quolibet altius ·
N ec qui lucida Sydera

Solers inſpiciat, deſit: at huc quoq;
C auſas cum ſpeculabitur,
Hæc ad perueniat Munera particeps.
R ecta pergite ſemita
Hac omnes igitur, Dux ego ſedulus
V obis non abero uſpiam,
Quo uirtus Hilares unica Duxerit;

CRETICVM CAMERTEM HORTATVR, VT IN PATRIAM redeat poſt perpeſſos multos labores, dum utranq; linguam, ac diſciplinas perdiſcit.

ODE. XVII.

Ebus hærendo propius, quid ipſæ
r P olleant intus ſapiens futurus
D iſcat, et uires utriusq; linguæ
Calleat, optas.
Quæ tibi quondam ratio ut ſuborta eſt,
T um truces audes Pelagi procellas
T emnere, et Graias ſitibundus urbes
Pergis adire.
A tq; iam dulci patria remotus
H ic uolens ſeptem remoraris Annos,
V nde quæſitum meritis reportas
Creticæ Nomen.

Inde

I nde sermonum rediens honustus
D otibus, doctos Patavi recessus,
E t penum rerum cupido beatam
Pectore quaeris ·
C uius ut fias satur, ecce rursus
H ic tibi externa est domus, inq; cursus
A lteros septem melioris Aevi
Ducatur Aetas ·
E rgo Iam plenus, patriae ne curam
F orsan induces Animo? et subibit
I am tibi grato locus, unde primos
Sumpseris ortus?
H ic suo nam te sibi iure sancta
A sserens dextra revocat, quid ultra
T endis? incassum properas, et isthic
Terminus haeret ·
D ulcibus sic dum teneor potentum
I pse Musarum studiis, et ocii
D ebitus dudum patriae duo bis
Lustra reposcor,
H ic ubi levum latus Vrbis urgens
F ertur amoenae prope littus orae
C aesarum subter monumenta leni
Ariminus unda;

AD NICOLAVM PASSERVM DE THEODORO GAZA.

ODE. XVIII.

h Oc quodcunq; uides, undiq; si caput
Flectas, Sydereo uertice contegi,
Parcarum tenet arcto
Nodo serua necessitas.
N am qua Romulidas Albula perfluit,
Illum, quem totiens laudibus omnium
Miramur, Theodorum
Audire hic memini senem.
I s rerum mihi tum perpetuis pares
Causas principiis dicere, sic nihil
Fati sorte potentis
Immune esse, sed omnia
A eternis superum obnoxia legibus.
Hinc solis uarios, et Triuiæ graues
Defectus, et olympo
Certas Syderibus uias.
H inc quæ terribili sæua Iouis manu
Mittantur pluuia grandine fulmina,
Terrarumq; tremorem, et
Nautis exitium inscíis
I ncertis tumidum temporibus mare.
Hæc nanq; Aetherio mentis ab halitu
Diuinæ intus habere

Infusum

Infusum, atq; per arduam
Molem sese agitantem undiq; spiritum,
Aiebat: tenues unde animantibus
Vitæ, quæq; sub altum
Marmor, quæq; uel Aetheris,
Vel terræ uario munere uescimur.
Quin inde ingenio, qua sapimus, Deum
Ipsorum quoq; puram
Nobis particulam dari,
Quæ quondam in numerum syderis artubus
Terrenis resoluta euolet, et sua
Cœli parte residat
Simplex, nec tenebris, neq;
Iam tunc corporeo subdita carceri.
Sic nobis liquido passere flumine
Verborum ille solebat
Qui iam cœlicola ante, quam
Humanum et male mortalibus additum
Torporem exueret, continue tamen
Versabatur in ipsis
Terris sydereum decus;

CLYCIE AD SOLEM, SED METAPHORICE AD MVSAM.

ODE. XIX.

Ertimur quo tu sacra lux perenni

D ucceris cursu, sequimurq; cunctis
P ené momentis, tua dum renident
Lumina terris.
E t tuos, donec superis aberras,
N octe, quam longa est, reditus moratæ,
M ane mox omnes iterum ad beatos
Flectimur Ortus.
V nde quod passis folijs uiremus,
Quod comam grate uiolæ rubentis
A emulam passim gerimus, quod ipsæ
Viuimus abs te
P rouenit, quæ nos radijs superne
S uscitas tantis, et humo refotas
Quantulas parua prohibes Iacentis
Vna perire.

FINIS.

IOANNIS AVRELII AVGVREL
LI LIBELLVS IAMBI-
CVS SVPERAD
DITVS.

AD MVSAS ACCEPTVM EIS RE-
FERRE SOLIS, QVOD GRAN-
DIVS NESCIOQVID LV
SVRVS SIT.

CARMEN. I.

Implæus hic est collis? hunc
dulces habent
Passim Camœnæ? Phœbus hunc
lubens petit?
Cum ponit arcum, cum Lyram
manu capit?
Huc me quis ergo duxit? huc quo tramite
Pedem beatus intuli?
Vlli ne quicquam contigit felicius?
Quam sub uirente semper hac Lauru, sub hac
Pinu, uel intra myrteum hoc ferri nemus?
Vel ad scatentis puriter Lymphæ caput
Huius sedere fessulum?
Quis ò canoras ocyus mihi fides
Ferat? quis hic me cœpit ultro spiritus?
Auet latente mens furore percita,

Sequens'q; gestit os, manus'q; grandius
Nec usitatum ludere.
D uxistis hæc in alta uos me culmina
Musæ: rigastis ora uos puris mihi
Vndis: refectum'q; excitastis optimæ:
Accepta uobis quæ frequenter unicis
Referre par est omnia;

AD IVLIVM·II·PONTIFICEM
MAX·IN COMMVNI
Omnium summi eiusdem
Pontificatus plausu
Gratulatio.

CARMEN. II.

Ecunde Iuli potifex Sanctissime,
s Optate cunctis gentibus diu pater,
Electe summo nunc iubente cœlitum,
Patrum'q; uotis omnium fauentibus,
Iam quisq; pro se gratulantes offerunt
Tibi, quod esse deditæ signum queat
Mentis. Potentes urbium uolentium,
Rerum'q; firma publicarum pectora
Legationibus datis frequentibus
Spondent, fidem'q; dedicant læti suam:
Tanquam daturi prodeant maius nihil.
At qui minori sorte uictum temperant,

Omnes opellam pollicentur uberem,
Præstare qualem diligens uirtus potest:
Quos ut tuorum scripseris semel gregi,
Dignere læto contueri lumine.
Spe cuius ultro motus ipse gratiæ
Ausim reposti collis ad cacumina
Repens anhelans ac laborans tendere.
Vbi sorores floribus sertum nouem
Texunt micantibus, æmulisq; syderum:
Quod inde mecum deferens tibi sacrum
Pergam superbis dedicare postibus
Templi, quod ulnis sustines unus tuis.
Ne prorsus ergo seduli Munusculum
Vatis, pusillum sit licet, despexeris.
Nec ille nanq;, cuius hic uicem geris,
Rerum supernus fabricator omnium
Terris inhabitans paruulos contempserat;

IN EODEM PLAVSV. CESSATVRAM SYDERVM MALIGNItatem, quam Vates minantur, Principis pii gubernatione.

CARMEN EX SOLIS IAMBIS. III.

m Inantur Astra quid tot imminentia?

Famem'ne, Bellá ue, aërem'ue morbidum?
An esse cuncta sic maligna credimus?
Vt ulla prorsus haud queat benignitas
Iouis iuuare, uel fauere Cypridis?
Nihil'q; cœtus orbis addet ultimi
Fauoris? atq; nos relinquet inuidens
Fauentium illa uis suprema syderum?
Quid heu cauere cogitent homunculi,
Quod imminere fata cuncta destinent?
Dedit sed ipse Principem Polus pium:
Secus'q; forte res minata habebitur.
Eo ferentur imperante rectius
Iniquitate siqua uicta temporum
Gradu labare de priore Cœperant.
Eo regetur imperante iustius
Id omne, cuius ipse iam potens, tenet
Vicem suapte ui mouentis omnia.
Redibit ergo seculum, quod antea
Semel fuisse fabulantur Aureum.
Vigebit omne protinus bonum: simul
Scelus potenter æquitas fugauerit:
Nec ulla nos tot impiis pios malis
Premet leuata syderum malignitas;

IN EODEM PLAVSV: SPERANdum esse bonis omnibus omnia in melius cessura sub frugifera almi Principis quercu.

CARMEN. IIII.

Q Vid non sub almo iam decebit Principe
Sperare uos omnes bonos?
Sperate uestris apta uotis omnia
Iam iam futura proxime.
V irtus aperte uestra fiet amplior.
Crescent uicissim præmia.
P rostrata passim prauitas calcabitur.
Pœnæ sequentur crimina.
V t Roma priscis restituta moribus
Caput decenter efferet,
O rbis uerendum semper, et summum caput,
Fidei Caput sanctissimæ,
E xemplar huius prosequentur cæteri
Quacunq; parte Principes.
H orumq; tales protinus Ciues erunt,
Quales et ipsi principes.
G audete honestis qui Valetis artibus,
Nec iam labori parcite.
M erces abunde præparatur omnibus
Hoc sub patente robore.
H æc quercus olim pauerat sub altero

Pastore non paruum gregem.
A t ipsa eundem pullulantis ambitu
Maiore nutrit Pabuli.
C reuere Rami, creuit et stipes, diu
Cultore cultus sedulo:
C uius supremo defluet cacumine
Optata pax mortalibus.
V escentur omnes glande, qua quondam ferunt
Auctum sub Auro Seculum;

IN EODEM PLAVSV: AD CIPPICVM IADRIENSEM PRAESVLEM GRATVLATIO.

CARMEN. V.

i Am longa quamuis attulit secum dies
Obliuionem saepe rerum desidem
Antistes alme, uirq; quam doctissime,
Tui memoria pertinax semper tamen
Mihi resedit sede mentis intima.
Vt flore quondam te iuuentae in optimo
Vigere studiis litterarum uidimus.
Ac dehinc honesta prosequentem maximos
Et liberali seruitute Principes:
Vt mox adeptum te breui, percepimus,
Opes, honores, ac laborum praemia.
Tum gratulabar, sed tacens tamen, tibi:

Bonis

Bonis quod ultro sic fauerent sydera.
At nunc quid unus maximus in omnium
Tacere possim plausibus? cum proxime
Tuus supremum Principum Princeps Decus
Domum reuertens expetitus omnibus
Insedit alto Principatus culmine:
Cui Christiana pareat Res publica:
Et Roma sanctum proferat uetus caput.
Frequensq; ad inferos Manus quiritium
Fama locati tam decenter muneris
Non usitato perfruantur gaudio.
At qui supernas incolæ sedes tenent,
Nobis fauere iam libenter annuant:
Quod rite ducti legibus, tandem bono
Boni uolentes degimus sub Principe;

IN EODEM PLAVSV: TRES SVMMAS VIRTVTES AD TRIVMphum inuitat, quo uincula prauitati iniiciuntur, atq; eadem in seruitutem deducitur.

CARMEN EX SOLIS IAMBIS. VI.

Eretia ueste candida nitens ueni
Piis uocata supplicum fides modis:
Opem tuis fer, ac tuère deditos

Tibi benigna: Caritasq; prodeas
Simul calente prosecuta spiritu.
Nec excitata spes moreris amplius:
Tuo sed ipsa cæteras gradu premas.
Triumphus ecce iam paratur elegans
Quibusq;, uestra qui instituta diligunt:
Sequetur omnis hunc chorus fidelium:
Amantium omnis, omnis et fouentium
Cor insidente spe: sequetur expetens
Honesta quisquis improbum scelus fugat.
Trophæi at ipse Pontifex uidebitur
Locum tenêre, parte qua micans Decus
Honore complet omnium grauissimo.
Virensq; laurus ac oliua uertica
Sacro reuincta gloriæ satis datum
Superq; prorsus approbabit omnibus.
Dolusq; frausq; prauitasq; uincula
Ferent, et ante currum agentur, et graui
Prementur usq; seruitute pessima;

AD·IVLIVM·II·PONT·MAX·IN eodem plausu, summopere lætari: ut opinatur, Venetum Senatum, qui ita summæ sedi optat præstantiss·Principem, ut eius sedis protector extitit semper summus.

CARMEN VII.

I Egêre Patres Maximum boni Patrem:
Qualem

Qualem uolebat optimus legi quisq;:
Qui pace primum candida suos donet,
Vt ille quondam, cuius is uices implet,
Pacem reliquit, dum polum subit, terris.
Restinguat et qui Principum grauis iras
Diri tumultum próterens ferum Martis,
Ac triste det quo turpiter Scelus terga:
Simul'q; læta proferat caput Virtus.
Quanuis'q; (ut aiunt) Syderum minis cuncta
Feruent, quibus iam exhorret et pauet Mundus:
Huic fata prorsus attamen statim cedant,
Prudentis est uis si potens magis fato.
Diuina nanq; cæteris Dei Cultor
Præfert, adorat et ueretur imprimis,
Mortalium'q; deinde res habet curæ.
Et dexter æqua ponderans librat lance:
Qui Christianæ publicæ rei præest,
Consentientibus ita nunc bonis cunctis.
Et qui priorum memoriam nouans Patrum
Nuper secundus Iulio quidem Magno
Illi decenter additur pater summus.
Honoribus complectitur bonos Iustis.
Omnes'q; caritate curat æquali.
Sed nec fatigatur labore, nec cessat,
Vbi facultas, quo iuuet suos, detur:
Patris magis quam Principis putans nomen
Decere se, qui Principum sedet princeps.
Nec imperare gratia sui, præ se

Fert ille, ſed ſic omnium, ut ſui nunquam
Sit mentio, uel parua, ſed gregis lecti,
Cuius fauente Paſtor eſt datus cœlo.
Reuerentiam inde non metum ſuis affert,
Vt qui colatur unice, nec optetur
Vllus magis, qui ſoſpes ac diu præſit.
In ore ſimplex, Regum decus, ſemper
Eſt ueritas illi, oris et lepor purus.
At fraus abeſt, abeſt et aſtus, in quarum
Vicem una Prudentia faceſſere has cogit:
Seruilem ut alteram, alteram ut malā trudens.
Hæc eruditio omnia excolit mira:
Certusq; rerum ac multus omnium ſenſus:
Innata quando uis caleſcit, et mentis
Doctrina uires interim mouet ſacræ.
Eſt huius etenim generis hoc quidem munus:
Iam ſeminarium unde pullulat denſum
Antiſtitum atq; præſidum uirum ſemper.
Hinc ille, reliquos ne ſimul tot attingam,
Qui iam beatæ dirigens Ratis clauum
Hæreditario innuit Catus iure
Deberi hunc olim Pontifex tibi ſumme,
Quem tu regendum aſſumeres, et hærentem
Iam penè ſcopulis turbidi maris cymbam
Potente dextra demeres: et in tutum
Tandem reducens ſiſteres diu portum.
Hinc gratulantes eſt uidere ſic paſſim
Cuiusq; cunctos ordinis, uelut quale

Aetate

Aetate nostra gaudium fuit nullum·
Sed nullus æque, opinor, est tamen lætus:
Quantum Senatus Adria potens gaudet·
Qui sic supremæ Principem cupit Sedi
Adesse iustum prouidum grauem summum,
Qualem'ue nunc te multiplex dedit Virtus:
Vt ipse semper illius fuit constans
Fortis'q; et acer fautor, ac erit præsens
Protector usq; pro suo in Deum cultu;

IN EODEM PLAVSU: RESISTI
Posse fato Prudentia Principis,
siquid sydera, ut Vates
ferunt, minantur·

CARMEN· VIII·

Alete pestes intimæ mortalium
u Extrema uitæ Fraus scelus'q; uulnera·
Abite cuncta maximam in malā crucē·
Redite uirtus ac honestas prospero
Gradu beatum centies consortium·
O ne minentur amplius Vates male:
Sæuire cessent iam maligna sydera·
Quid tam sceleste coelites admisimus?
Vt tot supersint iugibus malis mala?
Non uestra iam nos respicit clementia?
Quæ sola labe pro graui præponderet?

Atqui fauendi ſpem dediſtis optimam.
Electione patris hac ſummi data:
Qui dum gubernet, arceat nobis procul
Quæcunq; ferre ſors iniqua quiuerit:
Vt paſtor æquus curat ac ſeruat gregem
Sibi relictum, Dux ut abſcedit prior.
Lætentur omnes ergo, præſertim boni.
Speret bonarum cultor omnis artium,
Rerumq́; cultus augeatur omnium.
Iam cuncta nanq; proſpere tanti dabit
Fato reſiſtens Principis Prudentia;

AD MVSAS: VENISSE SE PARVA Vrna ad hauriendas ex earum fonte lymphas, quibus pro uirili ſua imas partes creſcentis quercus irriget.

CARMEN. IX.

Quis puellæ, quæ profanum limpidis
Arcetis omne fontibus:
Solosq́; Vates hauſtibus tantis pios
Frequenter huc admittitis,
Sacras adorans, ſi licet, Lymphas peto
Arcta pudenter Vrnula:
Vt rore ad imas irrigem partis leui
Creſcentis alte Roboris.

Maiore summas abluent aspergine,
Qui flumina ipsa exhauriunt.
Vos forte ad umbram sedulus tantæ semel
Quercus Camœnæ uisero.
Ac inde pastum glande me pingui Domum
Remittet hæc benignitas,
Qua me fouetis semper, et uestro simul
Completis almæ spiritu;

AD PONTIFICEM.

hAec tibi dudum reuerenter Alme
Pontifex tentis fidibus Camœna
Nescioquoddam meditata gestit
Ludere carmen,
Quod licet forsan minimum seueris
Auribus par sit, tamen iis leuamen
Mentis haud ab re fuerit Iocosis
Sumere rebus,
Atq; nonnunquam uariante crebris
Eximi curis uicæ, dum laboras
Pondere ex tanto super ipse sancta
Relligione.

V t solet nusquam renuisse nidos
D iues in summis Domibus lacunar,
Quos humo fingens modica sub illis
Aptat Hirundo,
S ic grauis laudum tua tot supellex
H aud opes Vatis tenues pusilli
S pernat, admittens operosa promptæ
Munera uocis,
Quæ, uelut magnos studiosa quondam
C ura formicæ cumulos oberrat,
M ox cauo lecti sibi farris arcto
Condit Acervum,
L æta sic Campos tua per patentis
Quæq; delibans benefacta passim,
V t potest, solers opus hoc ad unum
Vndiq; confert.
N on enim uox hæc aliò secat Spem
C redula, Spem, quæ miseros abunde
S ola mortales fouet, et fouebit
Tempus in omne,
V na de cunctis simul ac in imo
P yxidis fundo residens inhæsit,
O mne dum uirus scelerum ac laborum
Spargitur orbi.
O uigil semper nimium Prometheu,
Qui Iouis munus sapiens, et ipsum
N uncium, quanuis facilem puellam,
Te procul aufers.

Nec

N ec ſinis nos ut minimo coacta
V aſe perturbet Series malorum,
I llud imprudens niſi frater ægra
Mente recludat.
O leui quantum fatuoq; ſemper
P ræſtitit prudens, quid enim relictum
I am foret nobis? niſi blanda nunc ſpes
Vna ſuperſit.
S iue ſic Diui uoluere, ſiue
R eſtitit caſu, tamen hæc aperto
C alle Mortalem poterat ſoluta
Linquere Cœtum.
N unc iter quando miſerans morata eſt,
S iue quis Lætum cupiat quid: Vllo
S eu metu triſti teneatur, Acrem
Siue dolorem
P erferat quiſquam, uario medetur
O mnibus cultu, modo mox putemus
C uncta præſenti meliora curſu
Affore nobis.
Quin et iis, Quorum ſuperi benignæ
S umma Fortunæ propius tuentur,
S pondet hæc, quanquam nihil ipſa poſſit
Addere maius.
S ed nihil tandem magis, ac inanes
A rte ſolatur propria labores,
D ulcibus docta illecebris opertum
Ducere finem.

H æc mihi primum facilis, fauens'q;
S uasit, ut paruam tibi iam dicarem
H anc Lyram, et siquid foret huius unquam
Nobile uocis.
H æc per accliuem tenuem'q; raptans
S emitam, ascensu'q; trahens Anhelum,
A lta Parnassi superare cogit
Culmina collis.
H æc alit uires, quibus et minutos
S pernerem riuos, et auens adire
T e mihi plenum auxiliante fontem
Niterer uno;

AD BARTHOLOMAEVM AGO=
LANTVM TARVISINVM,
VT HOS, QVOS SECVM
VENETIAS FERT, LI
BELLOS ACCVRA
TISSIME IMPRI
mendos Curet.

f Ers tecum studiose meos Agolante
Libellos:
Esse loco Fratrum tibi quos haud
haesito, quando
E s mihi tu Nati, Necnon me sæpe Parentis
N omine dignaris: sunt at mihi mente Libelli
H i Geniti, patrio quos & complector Amore.

S edulus his igitur Custos hærebis, O pinor.
A c nequa titubent illi, curabis abunde:
V t nihil admittant delebile, nil ue relinquant
Quod cultus, quod longa Dies, quod gratia præstet.
O fficio sed cum fueris me hoc ipse secutus,
M unera restituent olim tibi grata Minores.
N am cum peruenies, quo te nunc semita ducit,
L aurigeri qua tendit iter sub culmina collis,
H ic fas Aonidum tibi erit secreta tueri
A ntra procul primum Viridi circundata Musco.
D ehinc Lauri Baccas inter, spissosq; Corymbos
H æc eadem Phœbi cœtu spectante subibis.
Quin admiranti tibi præcinet una Sororum
C armina, quæ quondã Calamis cũ Luseris ipse,
Quem mihi tu, tibi mox ætas præstabit honorem;

FINIS

a b c d e f g h i K l m n o p q

Omnes Quaterniones.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI
MENSE APRILI. M. D. V.



